DE

FATO SOPHOCLEO

PARTICULA PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIX. M. MARTII A. MDCCCLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AUGUSTUS HAGEMANN
ANGERMUNDENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

C. FRENZEL, PHIL. DR.
O. DAMBACH, REFERENDARIUS.
A. MEYER, REFERENDARIUS.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRUO

LUDOVICO HAGEMANN

REBUS VEHICULARIIS PUBLICIS PRAEFECTO EMERITO

ATQUE

PRAECEPTORIBUS

EDUARDO BONNELL

GYMNASII FRIDERICO-WERDERANI RECTORI

ET

ERNESTO KOEPKE

EJUSDEM GYMNASII PROFESSORI

VIRIS DILECTISSIMIS OPTIMEQUE DE SE MERITIS

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

De fato tragico, quae est inter viros tum doctos tum ingeniosos controversia[1]), omnino in ea videtur posita esse sententia ac ratione, quod alteri summam illi tribuentes vim, tragoediam antiquam sine eo cogitari posse nullam contendunt, alteri Graecorum poëtas, imprimis Sophoclem, fugisse negant, ab ipsorum hominum peccatis magna ex parte malorum, in quae inciderent, fontem deducendum

[1]) Gravissimas quas ediderunt et poëtae recentiores et critici et antiquarum litterarum periti de fato tragico sententias, inde a Schillero nostro usque ad annum MDCCCXLIII, affert Naegelsbachius disputans „de religionibus Oresteam Aeschyli continentibus“ (Norimbergae MDCCCXLIII) pag 25 sqq. Praeter quas placet memorare haec verba A. Guil. Schlegelii „Comparaison entre la Phèdre de Racine et celle d'Euripide“ pag. 51) „dans la tragédie grecque on trouve généralement une pensée unique bien clairement énoncée et tellement dominante, qu'elle est, pour ainsi dire, l'âme et le génie de tout le genre. Ce principe invisible, cette pensée fondamentale et motrice dans la tragédie grecque c'est la fatalité.“ Quibus addenda sunt haec Thierschii: „Die Kunst im Sinne des griechischen Geistes griff kühn über das Sinnliche hinaus und wagte sich in die Geheimnisse des Schicksals, dessen Verwebung in die tragische

esse et originem. Qua in lite cum ab eorum stemus partibus, qui temerarii cujusdam fati notionem Sophocleïs tragoediis expressam esse ut dicatur non committant, quoniam, quod equidem sciam, nulla jam exstat commentatio omni ex parte hanc quaestionem illustrans[1]), hujus caussae,

---

Handlung als eine der wichtigsten Eigenthümlichkeiten der griechischen Tragödie gilt.“ (vide ejus disputationem, quae inscribitur: „Ueber das Schicksal in den griechischen Tragödien“ pag. 4). Denique praeter eos, quos memorat Naegelsbachius, fati temerarii et saevi tristitiam tollunt Greiner: „Entwicklung der Bedeutung der Schicksalsidee“ in ephimeride litteraria edita a Zimmermanno (anni MDCCCXXXVIII nro: 142 et 143) quam commentationem per litteras mihi commendavit Naegelsbachius; Petersius „de peccati in tragoediis Sophocleis vi et natura“ (in programmate gymnasii Conicensis anni MDCCCXΓIX); Preller in Paulyi litterarum antiquarum horreo encyclopaedeutico s. v. fatum.“ Ceterum ipsum Naegelsbachium virum doctissimum ab horum stare partibus quod ex commentatione, quae modo laudata est intellexi, magnopere sum gavisus.

[1]) Steiner enim „Ueber die Idee des Sophocles von der göttlichen Vorsehung“ (in programmate gymnasii, quod floret Zullichaviae, anni MDCCCXXIX) non perfecit quod aggressus erat opus.

Wissowa fatum quod fertur vulgo, non vult admitti omnemque vim fatalem diis atque imprimis Jovi inferiorem esse persuasum habet. Itaque laudandus quidem est, quod religionis sublimitatem Sophocli vindicat, sed non in ejus auctoritate acquiescendum, quia duabus suis disputationibus, quarum prior praemissa est programmati gymnasii Leoboscutiani anni MDCCCXXXI, altera scripta ad inaugurandas novas aedes ejusdem gymnasii anno MDCCCXXXIII, quaestionem jam non ad finem perduxit.

Tum Ditges commentatione sua „de fati apud Sophoclem ratione“ (in programmate gymnasii Coloniensis a. MDCCCXXXV.) demonstrare studet Jovis potentiam esse vim fatalem. Sed ar-

ut ita dicam, perorandae non inepte nobis videmur suscepisse operam et laborem. Qua in re qui elaborare studet, etsi praesto sunt huic ipsius poëtae fabulae, quibus potissimum omnia nitantur argumenta oportet, exsistunt tamen indicia quaedam eaque minime contemnenda, ex quibus, ut dicunt, jam a priori, utra magis sit probanda sententia conjectura assequi possis. Aristotelem enim, si in eo libro, quem scripsit de arte poëtica, praeter unum locum, ubi *εἱμαρμένην* leviter attingit [1]), nusquam invenimus fati mentionem facere, nonne licebit colligere hac ex re aliquid haud parvi momenti? Priusquam vero fructum percipiamus ex locupletissimi illius testis auctoritate, perlustrandae sunt eorum opiniones, qui caussam quaestionis de fato ab ingenioso et acutissimo critico omissae studuerunt invenire. Ac primum Thierschius quidem Aristotelis auctoritati prorsus non obtrectans, quo magis probet, quam ipse sequitur de fato sententiam, in nono capite artis poëticae Aristotelicae deesse quaedam dicit [2]) atque intelligi posse ex capitis fine, praemissam fuisse disputationem in fati tragici notione explananda versantem. Sed nescio an nimis subtilis fuerit ille lacunarum inventor.

Nam accuratissime cuique perlegenti caput illud spero fore persuasum, optime omnia inter sese cohaerere recteque

---

gumenta sua nisi ex Oedipo Rege, ex Oedipo Coloneo, ex Antigona non assumit, reliquarum quattuor tragoediarum gravissimos tantum locos significans. Denique ne Ehlingeri quidem dissertatio inauguralis „de fati apud Sophoclem notione, indole, vi“ cum sint quos reliquerit locos explicandos, ut consilium meum abjicerem me movit.

[1]) cap. 16 § 9. ed. Hermann.

[2]) l. l. pag. 6.

ad hunc locum animadvertisse Hermannum nihil deesse nisi „apodosin" huic sententiae: „ἐπεὶ δὲ οὐ μόνον τέλειας ἐστὶ πράξεως ἡ μίμησις, ἀλλὰ καὶ φοβερῶν καὶ ἐλεινῶν, ταῦτα δὲ γίγνεται μάλιστα τοιαῦτα, ὅταν γένηται παρὰ τὴν δόξαν, καὶ μᾶλλον, ὅταν δι' ἄλληλα," quae verba excipiunt haec: „τὸ γὰρ θαυμαστὸν οὕτως ἕξει μᾶλλον, ἢ εἰ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου καὶ τῆς τύχης." Atque hanc, de qua loquimur, apodosin idem vir doctus non inepte videtur his verbis supplevisse: „curandum poëtis est, ut utrique rerum generi operam dent." Illi igitur Thierschii opinioni non obsequendum esse, cum satis pateat, Bluemner, quid persuasum habuerit, sequitur ut in quaestionem vocetur. Is enim, quod Aristoteles tam parvi faciat illam εἱμαρμένην, in praeceptis institutisque philosophiae ejus ponendum esse ducit [1]). Nam qui summam naturae rerum tribuens vim, ex ejus ratione quidquid in fabulis agatur, aptum esse voluerit, eundem consentaneum fuisse, fatum et naturam non in magno ponere discrimine atque negare illud in tragoedia magni esse momenti. Sed etiamsi de fato haec ipse statuisset philosophus, parum tamen in tanti ingenii acumen videtur cadere ea vituperatio, ut aliorum de fato notionem anquirens non integre judicare potuisse dicatur hanc ob rem, quod eorum cogitationes ad suas semper revocaverit et cum iis confuderit. Licet igitur aliud fuerit fatum tragicum, aliud Aristotelicum, tamen in tractandis tragicorum poëtarum fabulis suae eum philosophandi disciplinae morem nimis gessisse et quasi opinione praejudicata ductum fuisse negandum est. Displi-

---

[1]) vide libellum ejus qui inscribitur: „Ueber die Idee des Schicksals in den Tragödien des Aeschylus" pag. 167.

cuit item Hoffmanno Bluemneri sententia, sed errat quod ipse hunc in modum disserit: „Nur darum hat es (fatum) Aristoteles ausgelassen, weil es den religiösen Gehalt der Zeit bildete, für die reflectirende Kunst aber noch ein Unmittelbares und noch nicht in ihr denkendes Erkennen übergegangen war[1].“ Fati enim notio arcte quidem fere conjuncta erat cum fabulis, quae argumenta suppeditabant tragoediis componendis, sed ne poëtas quidem tam simplices fuisse arbitror, ut illam mente perceptam ratione non perlustrassent. Quos cum fati notionem qualem quibusdam fabulis invenerunt expressam, aut commutasse, aut omnino sustulisse videamus, quoniam tale aliquid nisi consulto et certo inito consilio omnino non potuit fieri, vel ex his erravisse Hoffmannum satis liquet. Adde quod Sophoclem libellum de choro tragico scripsisse scimus. Itaque cum ipsum eum, qui prae ceteris hoc poësis genere excelluit, tragicae rationis partem haud levis momenti ad artem et normam revocasse videamus, qui hos poëtas solo Musarum spiritu concitatos ad argumenta tractanda se dedisse putat neque ullam cognitam et perceptam habuisse artis regulam, quam falso is judicet quis non intelligit? At si poëtis hoc vindicandum est, num acumen Aristotelis praecepta artis ex iis, quas pro optimis habebat, tragoediis petentis, audebimus ponere, non concepisse animo illam, de qua dicimus, fati tragici notionem? Mittamus igitur Hoffmannum et pergamus ad refutandam doctissimi cujusdam viri sententiam. Bernhardyum enim

---

[1]) Libellum suum, cujus desideratur magnopere perspicuitas, inscripsit: „Ueber das Nichtvorhandensein der Schicksalsidee in der alten Kunst“ (vid. pag. 10).

in eo libro, quo historiam litterarum Graecarum non doctius quam ingeniosius enarrat, video contendere[1]), Aristotelem, qui ex Euripideïs fabulis, non ex Sophocleïs, praecepta sua repetiisset, cum in his fati notionem invenisset nullam expressam, fato tragico nullas omnino tribuisse partes. Confiteor timide me aggredi ad tanti viri auctoritatem impugnandam, verumtamen utar libertate illa, qua fruuntur ii soli, qui litteris student atque etiam mihi vindicabo Horatianum illud:

Nullius addicti jurare in verba magistri.

Nam primum, quod dicit in Euripideis fabulis fatum inveniri nullum, nescio an hoc modo de hujus poëtae religione statuens discrepet a communi fere omnium sententia, secundum quam Euripides fatum non sapiens illud quidem omni ex parte atque e justitiae legibus mundum gubernans perhibetur proposuisse, sed temerarium saepe et ab aequitate alienum, id quod potissimum ex ejus Hippolyto videtur percipi posse. Phaedra enim ardenti Hippolyti amore incensa, templo in Veneris honorem aedificato, cum summam deae gratiam iniisset, haec tantam reverentiam haud parvi faciens, ut ulcisceretur asperitatem quae videbatur Hippolyti summa constantia omnes amoris artes aspernantis, omni modo eum voluit perdi. Quod cum sibi propositum haberet dea, dummodo Hippolytus periret, ne Phaedrae quidem quamvis „εὐκλεῆς“ esse praedicetur, pernicies ut averteretur induxit in ani-

---

[1]) tom. II. pag. 710. cf. pag. 857.

mum [1]). Quamquam igitur Thesei ille filius jurejurando obstrictus coërcens animum summo jure effervescentem, cum prorsus non cogitaret de scelestis Phaedrae studiis et consiliis patri aperiendis, haud immerito *εὐσεβείας* laudem sibi vindicat [2]) neque temere de se praedicat idem [3]):

Ἐπίσταμαι (γὰρ) πρῶτα μὲν θεοὺς σέβειν,
φίλοις τε χρῆσθαι μὴ ᾽ δικεῖν πειρωμένοις,
ἀλλ᾽ οἶσιν αἰδὼς, μήτ᾽ ἀπαγγέλλειν κακὰ,
μήτ᾽ ἀνθυπουργεῖν αἰσχρὰ τοῖσι χρωμένοις,
οὐκ ἐγγελαστὴς τῶν ὁμιλούντων (πάτερ)
ἀλλ᾽ ὡὑτὸς οὐ παροῦσι, κἀγγὺς ὢν φίλος.

et quid multa? etsi non modo nullam in se admiserat culpam, sed etiam summae tum erga deos tum erga patrem pietatis laude excelluit, quippe qui et incestus Phaedrae turpitudinem detestaretur et in patrem, a quo summa injuria afficiebatur, nulla ferretur animi perturbatione, ut etiam majoris reverentiae laude videretur dignus esse quam Haemon ille Sophocleus, etsi igitur his tantis virtutibus ornatus erat, periit tamen, qüia sic placuit Veneris deae temeritati et saevitiae [4]). At Bernhardyus parum tribuit Veneri ab Euripide inductae, nam „Euripides" inquit [5])

---

[1]) vs. 47—50 ed. Valck:

ἡ δ᾽ εὐκλεὴς μὲν, ἀλλ᾽ ὅμως ἀπόλλυται
Φαίδρα· τὸ γὰρ τῆς δ᾽ οὐ προτιμήσω κακὸν,
τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν τοὺς ἐμοὺς ἐχθροὺς ἐμοὶ
δίκην τοσαύτην ὥστε μοι καλῶς ἔχειν.

cf. vs. 1307—1309.

[2]) vs. 656.

[3]) vs. 996—1001.

[4]) Ipsius Dianae audiamus verba:

Κύπρις (γάρ) ἡ πανοῦργος ὧδ᾽ ἐμήσατο (vs. 1400).

[5]) l. l. pag. 852.

„bedient sich solcher Figuren (qualis est praeter hanc Venerem *Λύσσα* in „Hercule furiente) blos als eines dramaturgischen Mittels, um das Werden pathetischer Zustände sinnlich zu machen." Quae licet probanda videantur esse, tamen nullo modo severitas illa et saevitia tollitur, quae posita est in Hippolyto perdito insonte illo quidem et integro, praesertim cum, si recte statuit Bernhardyus de Venere, ad irritum cadant illa, quae servus exprobrat cum hero suo [1]). Quare suo quodam jure fati vim his verbis significat chorus [2]):

κέκρανται συμφοραὶ νέων κακῶν·
οὐδ᾽ ἔστι μοίρας τοῦ χρεών τ᾽ ἀπαλλαγή.

Cujus consiliis perpetrandis nescius et invitus inservit Theseus pater, quapropter Diana [3]):

δείν᾽ ἔπραξας· ἀλλ᾽ ὅμως
ἔτ᾽ ἔστι καί σοι τῶνδε συγγνώμης τυχεῖν.
Κύπρις γὰρ ἤθελ᾽ ὥστε γίγνεσθαι τάδε,
πληροῦσα θυμόν·

Hac nostra disputatione si caussam non inanem attulimus, qua impediamur, ne probemus primam Bernhardyi sententiae, quam de Euripide proposuit, partem, jam sequitur, ut ad alteram refutandam nos convertamus. Ac profecto quod Aristotelem sic de Euripide statuisse videtur arbitrari, ut unum eum pro summo haberet tragico poëta, mihi quidem non persuadet. Nam quod Aristoteles Euripidem „*τραγικώτατον*" dicit esse „*τῶν ποιητῶν* [4])" cavendum est magnopere, ne hoc nimiae illi demus laudi. Quid? laudi nonne vituperationem eamque haud levem

[1]) vs. 88 sqq.
[2]) vs. 1255 et 1256.
[3]) vs. 1325—1328. cf. 1406. 1414. 1431.
[4]) l. l. cap. 13. § 10.

addit criticus his verbis expressam: „*εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ.*“ Atqui compositionem fabulae quanti fecerit Aristoteles quis nescit? Tragoediam enim cum velit contineri *μύθῳ, ἤθεσι, λέξει, διανοίᾳ, ὄψει, μελοποιΐᾳ,* ubi has partes enumeravit, in hunc modum pergit: *μέγιστον δὲ,* inquit, „*τούτων ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις* [1]).“ Neque facile elaborari in hac compositione tragica indicant illa Aristotelis verba[2]): „*οἱ ἐγχειροῦντες ποιεῖν πρότερον δύνανται τῇ λέξει καὶ τοῖς ἤθεσιν ἀκριβοῦν ἢ τὰ πράγματα συνίστασθαι.*“ Quae cum ita sese habeant, ex eo loco, quem supra attulimus, quomodo colligi possit, Euripidem Aristotelis judicio summum esse tragicum equidem non video. Profecto enim, summi poëtae laudes non in hunc modum celebrasset: „Euripides omnium tragicorum praestantissimus est, licet ejus *οἰκονομία* (in qua una Aristoteles totam tragoediae vim positam esse ducit) vituperanda sit.“ Qua ex re cum appareat, philosophum, appellantem „*τραγικώτατον*“ Euripidem, non ei tribuisse principatum inter poëtas tragicos, sed alio quodam sensu illam vocem usurpasse, tum, si respicimus continuum sententiae Aristotelicae ordinem, etiam clarius hoc perspicitur. Nam criticus, qui illis potissimum tragoediis se delectari indicat, quarum infelix sit exitus, cum exsisterent, quibus Euripides, quod maxima pars tragoediarum ejus in scenam produceret homines in tristissimam quamque sortem fabula exeunte incidentes, in vituperationem vocaretur, temere illos in Euripidem invehi dicit argumentumque suae sententiae addens hoc: „*ἐπὶ γὰρ τῶν*

---

[1]) cap. 6. § 12. Cujus sententiae caussas affert cap. 6. § 14 et cap. 6. § 16.

[2]) cap. 6. § 19.

σκηνῶν καὶ τῶν ἀγώνων τραγικώτατα αἱ τοιαῦται (sc. fabulae ejusmodi exitus) *φαίνονται, ἂν κατορθῶσιν*" pergit in hunc modum: „*καὶ ὁ Εὐριπίδης εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.*" Qui cum sit verborum ordo et nexus, mea quidem sententia non erravit G. Hermannus, cui Euripidi ab Aristotele hoc loco id tantum videtur laudi dari, quod sit „*τραγικώτατος ἐπὶ τῶν σκηνῶν καὶ τῶν ἀγώνων,*" ita ut vocis „*τραγικώτατος*" vim optime expresserit Quintilianus his verbis: „*in affectibus* (vero) *cum omnibus mirus, tum in iis qui miseratione constant, facile praecipuus* [1]). Ceterum ejusmodi laudem non maximi momenti esse ex Aristotelis ratione, quem summum tribuere compositioni vidimus tragicae, vel his satis aperte significavit [2]): „*δεῖ,* inquit, *καὶ ἄνευ τοῦ ὁρᾶν οὕτω συνεστάται τὸν μῦθον, ὥστε τὸν ἀκούοντα τὰ πράγματα γενόμενα καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων· ἅπερ ἂν πάθοι τις ἀκούων τὸν τοῦ Οἰδίποδος μῦθον, τὸ δὲ διὰ τῆς ὄψεως τοῦτο παρασκευάζειν ἀτεχνότερον καὶ χορηγίας δεόμενόν ἐστιν.* Illo igitur loco, in quo explanando jam aliquamdiu versatur disputatio nostra, non tantis efferri laudibus Euripidem, quantis quibusdam videtur, cum demonstratum sit, et ipsi mediocri laudi vituperationem haud exiguam addi, tum exstant loci, quibus etiam graviora ejus peccata castigat Aristoteles. Quid enim dicam de eo loco, quo de choro tragico disserens non Euripideam sequendam esse rationem docet, sed Sophocleam, hanc edens sententiam [3]): „*καὶ τὸν χορὸν δὲ*

[1]) Inst. orat. lib. X. cap. 1. § 68.

[2]) cap. 15. § 3.

[3]) cap. 18. § 21.

ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ Εὐριπίδης, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλῆς," quid de eo, quo refert Sophoclem dictitasse, se producere homines in scenam quales esse debeant, Euripidem vero quales sint[1]). Sed quorsum haec affero? Quia probant, in hac sententia Sophoclea commemorata item inesse Euripidis vituperationem, cum Aristoteles tragoediam meliores velit imitari[2]).

At Sophoclem quanta laude dignum putaverit praeter loca allata vel frequens Oedipodis mentio[3]) probat atque videri in Sophoclis hanc fabulam maxime Aristotelem „intuitum esse in iis, quae tragico observanda doceat" quod contendit Hermannus[4]), non solum ad opinionem, sed etiam ad veritatem dicit. Tum idem philosophus, similitudines quasdam artis epicae, comicae, tragicae comparans, praeter Homerum et Aristophanem quod affert Sophoclem[5]), si iis, quorum suae quisque artis princeps fuit, tertium addidisset mediocrem tragoediae auctorem, nonne ineptum fecisset? His argumentis nisus ex Sophoclis praecipue fabulis petiisse Aristotelem praecepta sua equidem non dubito dicere, id quod multum valere puto ad eam rem, in qua nostra versatur disputatio, quoniam, si recte

---

[1]) cap. 26. § 11. Praeterea Aristoteles Euripidem in vituperationem vocat his locis: cap. 15. §7 et 8. cap. 18. §. 12. cap. 16. § 31.

[2]) Sic disserit de comoediae et tragoediae discrimine (cap. 2. § 7): ἡ μὲν γὰρ χείρους, ἡ δὲ βελτίους μιμεῖσθαι βούλεται τῶν νῦν.

[3]) vid. cap. 11. §. 2. 3. 5. cap. 13. § 5. cap. 14. §. 2. 15. cap. 16. § 11. cap. 25. §. 8.

[4]) vide ejus notam ad. cap. 13. § 5.

[5]) cap. 3. §. 3. Vituperatio Sophoclis quod nonnullis locis (ut cap. 16. § 6. cap. 25. § 8) invenitur, quoniam in re leviore versatur, falsam esse nostram sententiam non probat.

omnia conclusimus, jam licet proponere gravem hanc sententiam: „*Aristotelem, quippe qui de tragoedia praecipiens in Sophoclem imprimis intuitus sit quasi in unum poëtae tragici exemplar perfecti illius quidem omnibusque numeris absoluti, quia fatum cum omnino ad tragoediae tum imprimis Sophocleae naturam non necessario pertinere viderit, nullam ejus fecisse mentionem.*“ Nam si omnes, quae ab aliis allatae sunt, fati mentionis ab Aristotele omissae non probandae sunt caussae, sequitur, ut ea, quam nos modo attulimus, una sit vera atque recta. Haec sunt, quae pro tenui nostra facultate contra Bernhardyum, virum omni laudis genere propter singularem et doctrinae copiam et ingenii acumen optimo jure cumulatum, ausi sumus proferre.

Praeter eam vero, quae ex Aristotele tacente capitur conjectura, altera potest fieri ex ipsis ejus praeceptis. Cum enim docuisset, tragoediam esse imitationem actionis seriae et perfectae, quae miseratione et metu harum perturbationum earumque similium perficeret purgationem [1]), in eam incidens quaestionem, ne tragoedia a proposito suo aberret, quales ii esse debeant, quorum mores in ea depingantur, sic pergit disserere [2]): „*πρῶτον μὲν δῆλον, ὅτι οὔτε τοὺς ἐπιεικεῖς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν· οὐ γὰρ φοβερὸν, οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μιαρόν ἐστιν· οὔτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας εἰς εὐτυχίαν· ἀτραγῳδότατον γὰρ τοῦτό ἐστι*

[1]) cap. 6. § 2. Difficillimi hujus loci varias et lectiones et interpretationes collegit Raumer in scriptis academiae Berolinensis anni MDCCCXXVIII: „Ueber die Poëtik des Aristoteles“ pag. 125 sqq.

[2]) cap. 13. § 2—7.

πάντων· οὐδὲν γὰρ ἔχει ὧν δεῖ. οὔτε γὰρ φιλάνθρωπον, οὔτε ἐλεεινὸν οὔτε φοβερόν ἐστιν· οὐδ᾽ αὖ τὸν σφόδρα πονηρὸν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταπίπτειν. τὸ μὲν γὰρ φιλάνθρωπον ἔχοι ἂν ἡ τοιαύτη σύστασις, ἀλλ᾽ οὔτε ἔλεον, οὔτε φόβον. ὁ μὲν γὰρ περὶ τὸν ἀνάξιόν ἐστι δυστυχοῦντα, ὁ δὲ περὶ τὸν ὅμοιον. ὥστε οὔτε φοβερὸν ἔσται τὸ συμβαῖνον. ὁ μεταξὺ ἄρα τούτων λοιπός. ἔστι δὲ τοιοῦτος ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνῃ, μήτε διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν, ἀλλὰ δι᾽ ἁμαρτίαν τινά, τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων καὶ εὐτυχίᾳ· οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης καὶ οἱ ἐκ τούτων γενῶν ἐπιφανεῖς ἄνδρες.

Quibus verbis, ut fato magnam vim tribuat tantum abest, ut peccato velit admisso incidant homines, qui in tragoediae agant, in miseriam simulque luce clarius ex hoc loco apparet, cum sic Aristoteles statuerit de origine calamitatis personarum tragicarum, consulto eum nullam fecisse tragici fati notionem. De quo quid persuasum habuerit hic philosophus cum satis perspicuum esse putem, quoniam in hac ejus auctoritate, quamvis magna, nobis non est acquiescendum, sed ut jam supra significavimus, ad ipsius Sophoclis fabulas animus convertendus, jam sequitur ut operam demus viae quaestionis nostrae atque rationis quam aptissimae inveniendae. Qua in re non difficile videtur esse elaborare. Etenim fatum, quod vulgo fertur, inveniri apud Sophoclem nullum non modo negantes, sed etiam apposite ad persuadendum demonstraturi, fatalium, quas dicunt, dearum, si etiam apud Sophoclem invenimus notionem expressam, quales quantaque auctoritate ornatas quasve partes agentes illas sibi finxerit poëta, primum erit explanandum.

Interesse aliquam rationem inter ea, quae peccent et quae patiantur miseri, ne antiquissimis quidem temporibus homines fugit, siquidem jam e Pelasgorum cultu et religione apparet, mala saepe propter scelera perpetrata a deo immitti credita esse [1]). Homines igitur probos a diis omnibus praemiis ornari, improbos graevissima quaque poena plecti, quoniam et in proverbium fere abierat, neque solum vita communis, sed etiam prateritorum temporum memoria evidentissimis exemplis illustrabat, poëtae tragicae illam cogitationem toto pectore amplexi non potuerunt facere, quin proponerent et probos ex iis quae bene et laude digna gesserunt, fructum percipientes, et improbos detrimentum ex iis, quae male et turpiter perpetrarunt, capientes. Itaque ipsa Minerva Sophoclea praedicat haec [2]):

τοὺς (δὲ) σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.

et Oedipus colloquens cum choro:

ἡγεῖσθα (δὲ) inquit
βλέπειν μὲν αὐτοὺς (sc. *θεοὺς*) *πρὸς τὸν εὐσεβῆ βροτῶν*
βλέπειν δὲ πρὸς τοὺς δυσσεβεῖς· φυγὴν δέ του
μήπω γενέσθαι φωτὸς ἀνοσίου βροτῶν [3]).

---

[1]) Vide Stuhrii librum, qui inscribitur „Allgemeine Geschichte der Religionsformen der heidnischen Völker (tom. II. pag. 275): „Dem frommen Hellenen blieb stets das Unheil ein von den Göttern des Frevels wegen verhängtes Geschick und das Heil ein göttlicher Segen. In solchem Sinne waren schon von Alters her unter den Pelasgern der lycäische Zeus, der thessalisch-thrakische Hekatos und die Hecate verehrt worden."

[2]) Aj. vs. 132 et 133.

[3]) Oed. Col. vs. 274—277. Similes sententias collegit Petersius „in theologumenis Sophocleïs" pag. 5 et 6.

Atque homines rudes et inculti, quo clarius significarent divinam illam justitiam, turpitudinem poena plectentem, cum flagitiorum ulciscendorum munus detulissent ad singularia quaedam numina, haec ne poëtae quidem tragici, morem gerentes opinioni vulgari, dubitarunt in scenam producere. Quare etiam apud Sophoclem inveniuntur ultrices illae deae: *Ἐρινύες, Ἀρά, Νέμεσις Δίκη,* de quibus deinceps pauca placet disserere.

Ἐρινύες igitur illae *Γῆς τε καὶ Σκότου κόραι,* laesae pietatis imprimis consanguineis debitae severae ultrices, quae invocantur ab Electra [1]), ut poenas repetere non moratae Orestem paternae caedis ultorem incolumem mitterent ad occidendum Aegisthum et Clytaemnestram, percussoris connubium non aspernatam „*Ἐρινὺν οὔτιν᾽ ἐκφοβουμένην*[2]), agitant eaedem Alomaeonem matris, Meleagrum avunculi interfectorem[3]). Atque Oedipus, cui Creon avunculus idem et affinis vim inferre conatur, exclamat[4]):

ἐγὼ νῦν τὰς δε τὰς θεὰς (sc. *Ἐρινύς*) *ἐμοὶ*
καλῶν ἱκνοῦμαι καὶ κατασκήπτω λιταῖς
ἐλθεῖν ἀρωγοὺς ξυμμάχους.

Vocis autem significatio cum amplificaretur, factum est, ut omnino scelerum persequendorum his deabus darentur partes et quasvis injurias ulcisci crederentur. Quapropter Teucrus Ajacem fratrem sepelire ab Atridis vetitus, ad *μνήμονα Ἐρινύν* se convertit[5]). Poenas vero exigentes, cum ei, quem agitant, perniciosae sint, ho-

---

[1]) El. 110 — 117.

[2]) El. 269.

[3]) Fragm. ed. Ahrens. 303 b. 350 b.

[4]) Oed. Col. vs. 1007 — 1009.

[5]) Aj. vs. 1362. cf. vs. 818 sqq.

mines quippe quae insontes sibi videantur esse, quomodo justae ultrices Furiae appellandae sint, saepe non intelligunt, sed supplicia injuriarum expetenda earum munus esse nihil curantes, vexatrices eas arbitrantur omnia malorum genera temere immittentes. Qua de caussa etiam res, quae interitum misero pararent, eaedem putabantur machinari deae, ut Hectoris gladium [1]), quo se percussit Ajax, et vestem Nessi cruore tinctam [2]) quae pessumdedit Herculem. Atque cum non inusitata sit ea sermonis consuetudo, qua res effecta caussae efficientis nomine notetur, interdum, quae animum in caecitatem et furorem injicere ducatur *Ἐρινύς*, significat ipsam hanc animi caecitatem ut eo loco Sophocleo, quo chorus haec praedicat de Antigona [3]):

κατ᾽ αὖ νιν φοίνια θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κόνις ·
λόγου τ᾽ ἄνοια καὶ φρενῶν Ἐρινύς.

Ab eademque sermonis consuetudine non alienum est *Ἐρινὺν*, quae perniciosa sit, interdum ipsam denotare perniciem, sic de Jola chorus [4]):

ἔτεκεν, ἔτεκε μεγάλαν
ἁ νέορτος ἅδε νύμφα
δόμοισι τοῖσδ᾽ ἐρινύν,

ubi vox jam in nominis appellativi usum abiit. Denique gravissima quaeque mala et supplicia cum ad harum dearum auctoritatem revocarentur, unusquisque de plebe has deas ut diras summo terrore prosequebatur, quare fieri potuit, ut earum nomine appellaretur homo, cujus immanitatem horrebat animus pius et justus. Itaque apud

[1]) Aj. vs. 1007.

[2]) Trach. vs. 1030 et 1031.

[3]) Ant. vs. 583 et 584 ed. Boeckh.

[4]) Trach. vs. 879—881.

Sophoclem chorus compellat Aegisthum et Clytaemnestram *διδύμαν ἐρινύν*[1]). Ceterum *Ἐρινύων* nominis tristitia aliqua ex parte mitigata in eam mansuetudinem conversa est earum vis et notio, ut *Εὐμενίδων* nomine invocarentur[2]). Quo nomine illas appellandas esse, si benevolo se excipi velit animo, chorus indicat Oedipo[3]).

Haec de Eumenidibus. Sequitur ut pauca dicantur de ea dea fatali, quae vocatur *Ἀρά*. Significat vox *ἀρά* exsecrationem. Quam, si justa est, cum omnes dii, imprimis vero ipse *Ζεὺς Ἀραῖος* perficiendam curet, nusquam ad irritum cadere per se patet. Omnia igitur illa mala, quibus exsecrationibus editis homines opprimuntur, ad *Ἀρὰς* deas revocantur. Itaque Tiresias vates Oedipo, qui patris interfector matrisque maritus, (non, ut infra demonstrabitur, sine ulla sua culpa) in utriusque exsecrationem videretur incurrisse, miseriam impendentem aperiens praedixit[4]):

καί σ᾽ ἀμφιπλὴξ μητρός τε καὶ τοῦ σοῦ πατρός
ἐλᾶ ποτ᾽ ἐκ γῆς τῆςδε δεινόπους Ἀρά.

Oedipus, qui senex et inops e patria ejectus impios filios devoverat, ab Ismena certior factus de gravi dissidio, quod Polynici cum Eteocle intercesserat, eventum dedisse exclamat Apollinem diris, quibus aliquando filios devovisset[5]), et Polynice, ut a suis partibus staret omnibus precibus adeunte patrem, hic *Ἀρὰς* vult sibi *ξυμμάχους* ve-

---

[1]) El. vs. 1063.
[2]) Vide schol. ad Oed. Col. vs. 486.
[3]) ad O. C. vs. 42.
[4]) Oed. R. vs. 412 et 413.
[5]) Oed. Col. vs. 446 sqq.

nire impios punituras filios[1]); easdem praeter *Ἐρινὺν* paternae caedis invocat ultrices Electra[2]).

Sed praeter hanc et in deos et in consanguineos impietatem, quam potissimum Eumenides et *Ἀρά* persequebantur, nescio an ulli vitio major et gravior vis ad hominum fortunas pervertendas tributa sit, quam illi *ὕβρει* tam saepe memoratae et castigatae. Quid, haec recte a nobis contendi, nonne probat opinio illa, quae sibi finxit *Νέμεσιν* singularem quandam deam, cujus munus versabatur in superbia atque insolentia frangenda cuique omnino videndum erat, ne quis modum et auream illam, ut Horatii verbis utar, mediocritatem excederet[3]). Quam deam quamquam apud Homerum non invenimus, tamen is poëta quantam tribuerit superbiae et insolentiae vim et ad singulares casus et ad totum rerum, quas celebrat carmini-

[1]) Oed. Col. vs. 1371 sqq.

[2]) vs. 111.

[3]) Herder („zerstreute Blätter" tom. II. lib. 5. pag. 214) hujus deae notionem sic definivit: „Sie ist eine Machthaberin über Glück und Unglück, eine einschränkende Bewahrerin des Glücks, gleichsam die Zunge an der Glückswage, kurz die Göttin des Maafses und Einhalts ist Nemesis; die strenge Aufseherin und Bezähmerin der Begierden, eine Feindin alles Uebermuths und Uebermafses in menschlichen Dingen, die, sobald sie dieses gewahr wird, das Rad kehrt und ein Gleichgewicht herstellt. Wäre mir der Ausdruck erlaubt, so würde ich sie *ὕβρεως μέμψις*, die mifsbilligende Gottheit des Uebermuthes nennen." cf. Lehrsium (in disputationibus societatis germanicae Regiomontaneae collectio IV. pars I. pag. 162): „Die Nemesis ist nichts anderes als die Vergelterin der Hybris, oder die personificirte Göttin, welcher diese Vergeltung vorzugsweise obliegt. Oder noch genauer: es ist eigentlich das Gefühl der

bus suis, connexum et eventum conformandum, quis est quem fugere possit? Acute enim Naegelsbachius demonstravit[1]) viam atque rationem, qua Homerus doceret fieri, ut honoris et laudis nimium studium paullatim abiret in superbam virium fiduciam ostentandam. Primum enim accidit, ut homo nimia honestatis appetentia ductus tale aliquid peccet, quale Agamemnon probro dat Achilli hisce verbis[2]):

ἀλλ᾿ ὅδ᾿ ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων,
πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει, πάντεσσι δ᾿ ἀνάσσειν,
πᾶσι δὲ σημαίνειν.

Sic si quis animo affectus est, non inepte compellatur his prudentis atque modesti Ulixis verbis[3]):

τέκνον ἐμόν, κάρτος μὲν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη
δώσουσ᾿, αἴ κ᾿ ἐθέλωσι, σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμόν
ἴσχειν ἐν στήθεσσι· φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων.

Quae si quis contemnit praecepta „*βίῃ καὶ κάρτεϊ εἴκων*[4]) non mirum est, quod is sibi conflat calamitates, quales comites Ulixis, qui

ὕβρει εἴξαντες, ἐπισπόμενοι μένεϊ σφῷ

Aegyptiorum agris vastatis feminas vi raptas atque infantes ceciderunt[5]). Ac quantam illi superbiae et in-

---

Indignation, welches die Hybris erregt, welches sie bei den Göttern erregend gedacht wird.“

[1]) Vide ejus librum, qui inscribitur: „Die homerische Theologie“ pag. 275 sqq.

[2]) Il. *α*. 287—289.

[3]) Il. *ι*. 254—256.

[4]) Od. *ν*. 143. *σ*. 139.

[5]) Od. *ρ*. 429 sqq. Recte Naegelsbach: „So ist die Sünde des Menschen eigenste That, ist dessen bis zur *ὕβρις* gestei-

solentiae Homerus tribuerit vim ad totum eventum et ordinem earum rerum, quas carminibus suis enarrat, conformandum, unicuique perspicuum est. Quid? nonne Odysseae sententia in eo versatur, ut proponat impiorum procorum insolentiam supplicio justo tandem aliquando fractam ab Ulixe ultore post multos et diuturnos errores, diis faventibus, domum redeunte? Tum comites Ulixis, quod tam misere perierunt nonne poenas dederunt ejus culpae, quam in se admiserant mactatis proterva animi insolentia Solis bobus [1])? Denique ipse Ulixes nescio an quadam ex parte sua culpa infestum habuerit Neptunum, non solum ob Polyphemum excaecatum, sed etiam quamvis alias moderationis laude excellens, parum modeste facinore illo perpetrato tale aliquid jactans [2]):

αἲ γὰρ δὴ ψυχῆς τε καὶ αἰῶνός σε δυναίμην
εὖνιν ποιήσας πέμψαι δόμον Ἄιδος εἴσω,
ὡς οὐκ ὀφθαλμόν γ' ἰήσεται οὐδ' ἐνοσίχθων.

Tum de Iliadis argumento ut dicamus, omnes illae miseriae et angustiae, quibus Graecorum copiae Achillis auxilio destitutae premebantur, nonne consecutae erant necessario illam superbiam, qua efflatus temere offenderat Agamemnon Thetidis filium [3])? Qui impie idem et violenter invectus in Chrysen, Apollinis sacerdotem, jam antea pestilentiae calamitatem conflaverat [4]). Tum apud Hesiodum

---

gerte Selbstsucht, welche, damit ihr selber genug geschehe, weder Satzungen der Götter, noch Rechte der Menschen scheut."

[1]) Od. α. 7—9. cf. λ. 105 sqq. μ. 300. 379.

[2]) Od. ϑ. 523—525.

[3]) Il. α. 203 sqq.

[4]) Il. α. 11—13. cf. α. 25 sqq.

jam ipsam invenimus *Νέμεσιν* deam memoratam[1]) atque hanc gravem *ὕβρεως* poenam indicatam[2]):

οἷς δ' ὕβρις τε μέμηλε κακὴ καὶ σχέτλια ἔργα,
τοῖς δὲ δίκην Κρονίδης τεκμαίρεται εὐρυόπα Ζεύς.
πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα,
ὅστις ἀλιτραίνῃ καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.
τοῖσι δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων
λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί,
οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν· μινύθουσι δὲ οἶκοι,
Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν Ὀλυμπίου· ἄλλοτε δ' αὖτε
ἢ τῶν γε στρατὸν εὐρὺν ἀπώλεσεν, ἢ ὅ γε τεῖχος,
ἢ νέας ἐν πόντῳ Κρονίδης ἀποτίνυται αὐτῶν.

Deinde Pindarum praecipue commendare moderationem et modestiam, omnes, qui de hujus poëtae religione disputaverunt animadvertere videmus[3]). Notat igitur his Ixionis audaciam[4]):

εὐμενέσσι (γὰρ) παρὰ Κρονίδαις
γλυκὺν ἑλὼν βίοτον, μακρὸν οὐκ ὑπέμεινεν ὄλβον,
μαινομέναις φρασὶν
Ἥρας ὅτ' ἐράσσατο, τὰν Διὸς εὐναὶ λάχον
πολυγαθέες· ἀλλά νιν ὕβρις εἰς ἀυάταν ὑπεράφανον
ὦρσεν· τάχα δὲ παθὼν ἐοικότ' ἀνὴρ
ἐξαίρετον ἕλε μόχθον.

---

[1]) theog. vs. 223.

[2]) op. et dies vs. 238 sqq.

[3]) „Nihil magis oderunt Dii (sc. Pindarici) quam superbiam in nimia felicitate; . . . . . prosternunt superbos, aliis vero decus praebent.“ (vide Ebertii „theologumena Pindari“ pag. 10).

[4]) Pyth. II, 25 sqq. ed. Boeckh.

quibus paullo post hanc illius fabulae sententiam addit[1]):

χρὴ δὲ κατ᾽ αὐτὸν ἀεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον.

Praeterea illum afferre placet locum, ubi idem poëta in hunc modum canit[2]):

εἰ δέ τις ὄλβον ἔχων μορφὰν παραμεύσεται ἄλλων,
ἔν τ᾽ ἀέθλοισιν ἀριστεύων ἐπέδειξεν βίαν·
θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη,
καὶ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος.

Atqui non solum Pindarus, sed cum omnes ejus aequales, tum imprimis Athenienses persuasissimum haberent oportuit, deos esse, qui frangerent animi tumentis et efflati ferocitatem, faverent modestiae et pietati. Etenim viderunt Persarum copias immensas illas quidem et quae invictae putarentur esse, diis faventibus, ab exigua suarum manu fusas fugatasque. Atque hujus opinionis, quae communis erat illius aetatis, exstat praeclarus quidam interpres Aeschylus poëta, quem „Persis" perspicuum est id sibi proposuisse, ut ostenderet, gubernari hunc mundum a diis, quorum consilio ad irritum caderent audaces impiorum hominum conatus, quare nunquam committerent Athenienses, ut illam virtutem in pietate et animi moderatione quasi in stabili atque firmo positam fundamento viderentur abjecisse. Deus enim belli terrestris tantum victorias cum olim assignavisset Persis reportandas[3]),

---

[1]) ib. vs. 34.

[2]) Nem. XI, 13 sqq. cf. Nem. IX, 45 sqq. Conveniens fuit ad illam tam frequentem modestiae laudem ejusmodi sententia:

ἐπάμερον· τί δέ τις; τί δ᾽ οὔτις; σκιᾶς ὄναρ
ἄνθρωπος. (Pyth. VIII, 95 et 96).

[3]) vs. 102 sqq. ed. Wellaueriana.

hi parum memores edicti divini etiam maritimi belli gloriae cupidi insolenter Graeciae bellum, quid dico bellum? immo flammam ferrumque detestanda audacia vel ipsis deorum templis intulerunt. Quare quoniam tantum facinus non impunitum poterant ferri dii, fregerunt superborum Persarum opes et effecerunt, ut victores discederent ii, a quibus pio semper modestoque animo culti erant et foti [1]).

Adde quod idem poëta septem illorum ducum, qui Argivorum exercitui praefecti Thebas aggressi sunt, si ab uno discesseris Amphiarao vate, gravissime notat superbiam [2]). Ille autem vir propter ipsam animi moderationem et summae pietatis laudem „δεινός" a nuntio vocatur [3]).

Postremum de Herodoto quin recte judicaverit Boetticher, qui hunc in bellis Graecorum contra Persas describendis id potissimum secutum esse dicit [4]); „ut illos pio ac venerando animo se suaque omnia diis subjicientes

---

[1]) vide in primis verba Darei vs. 789 sqq. vs. 804 sqq.

[2]) vid. Sept. vs. 303 sqq. ed. Haupt.

[3]) ib. 518.

[4]) Vide ejus commentationem susceptam „de θείῳ Herodoteo" quae invenitur in programmate Gymnasii Friderici-Guilelm Berolinensis anni MDCCCXXX (pag. 10). Cum quo conferre licet Boettigeri sententiam, qui scripsit „de Herodoti historia ad carminis epici indolem propius accedente" (vide ejus opuscula collecta et edita a Silligio pag. 182 sqq.) secundum quam duas res maxime illustrat Herodotus: primum enim oracula „quorum ope et consilio omnia tunc temporis administrata esse inter omnes constet," tum vero „gravissimam illam iterumque atque iterum repetitam sententiam de numine fastum impotentiorum hominum et arrogantiam deprimente, sive ut ipse aliquoties appellat: deorum qua in fortunatos ferantur invidia."

atque eam ipsam ob caussam vera praeditos virtute atque fortitudine, quamquam numero opibusque longe inferiores, numinis divini auxilio feliciter pugnasse ostenderet adversus barbaros impios divini humanique juris superbissimos contemptores ideoque ab ipsis diis odio habitos," quin recte igitur judicaverit ille vir doctus, nemo poterit dubitare.

Hac igitur nostra disputatione quoniam satis nobis videmur demonstrasse, cum jam antiquissimis temporibus acerbissima quaeque mala a deo propter scelera perpetrata immissa credita esse, tum de omnibus fere peccatis, quibus homines adversae fortunae tempestates ipsi sibi conflarent, sic imprimis Sophoclis aetate statuisse prudentissimum quemque, ut ea ex superbia et insolentia quasi ex communi quodam fonte emanare pro certo haberet, si quidem item hic poëta non solum locis, qui passim occurrunt, sed etiam (id quod infra accuratius exponetur) universo quorundarum fabularum argumento singularem modestiae laudem celebrat, quod induxit illam *Νέμεσιν* deam, quae potissimum superbiam putabatur frangere, non temere meo quidem judicio fecit. Ut paucos [1]) tantum locos afferam, Ulixem, quo magis commendetur modestia conveniens ad hominis debilem et fragilem naturam, haec facit confitentem [2]):

ὁρῶ (γὰρ) ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἴδωλ', ὅσοιπαρ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.

Tum *ἀβουλίαν* vocat „*μέγιστον κακόν*" [3]) et *εὐβου-*

[1]) Multos collegit Petersius in „theologumenis Sophocleïs" pag. 17 et 18.

[2]) Aj. vs. 125 et 126.

[3]) Ant. vs. 1242.

λίαν „*κράτιστον κτημάτων*“[1]). Atque in Oedipo Rege canit chorus[2]):

ὕβρις φυτεύει τύραννον·
ὕβρις, εἰ πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάταν, ἃ μὴ᾽ πίχαιρα
μηδὲ συμφέροντα,
ἀκρότατον εἰσαναβᾶσ᾽
ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν,
ἔνθ᾽ οὐ ποδὶ χρησίμῳ
χρῆται.

Quare laudandus est Petersius, qui contendit[3]), „omnem, quae ad mores pertineat, Sophoclis sententiam ad has duas notiones *σωφροσύνης* et *ὕβρεως* revocari.“ Sed ut ad eos locos animum advertamus, ubi ipsa *Νέμεσις* memoratur, Clytaemnestra mortui Orestis nuntio allato, exsultans impio gaudio dum Electram his petit:

κεῖνος δ᾽, ὡς ἔχει, καλῶς ἔχει

cum inauditam in se admisisset insolentiam, fratris *Νέμεσιν*, quae tantam audaciam ulciscatur, non perperam invocat soror[4]). Sed etiam hujus vocis vis amplificata in cujuslibet sceleris vindictae abiit significationem, ut *θεῶν βία καὶ νέμεσις* diceretur „*ἔργ᾽ ἀμύνειν κακα*“[5]). Haec autem dea, cum justa ultrix sit, ne cum *Φθόνῳ*, qui etiam apud Sophoclem invenitur, confundatur, erit cavendum. Neoptolemum etsi Philoctetes, ne praeclarae sagittae detrimento ei sint, *Φθόνον* venerari jubet[6]) et

[1]) ib. vs. 1050.
[2]) vs. 846—852.
[3]) l. l. p. 18.
[4]) El. vs. 779.
[5]) Phil. vs. 601 et 602. cfr. ib. vs. 517 et 518.
[6]) Phil. vs. 759—761.

Aegisthus, qui corpus Orestis sibi videtur spectaturus esse, laeta spe erectus exclamat [1]):

ὦ Ζεῦ, δέδορκα φάσμ', ἄνευ φθόνου μὲν, εὖ
πεπτωκός, εἰ δ' ἔπεστιν νέμεσις, οὐ λέγω,

tamen non ipse poëta tale numen veneratione prosequitur, sed illa dum facit loquentem et Philoctetam et Aegisthum, hoc sibi proposuit, ut falsam quandam visionem et speciem opinionum popularium exprimeret [2]).

At dii in puniendo non immani ulciscendi cupiditate ducuntur, neque in peccatis persequendis eorum prorsus desideratur justitia et aequitas. *Θέμιδι* enim deae tribuebatur tuenda ac servanda ea disciplina, quam moderantur consuetudo, jura, leges. Quae disciplina cum

---

[1]) El. vs. 1441 et 1442.

[2]) Hasselbachius („Ueber den Philoctetes des Sophocles" p. 123) sic disserit: „dafs die Götter zu grofsem Glücke der Menschen scheel sehen und es wol jählings in Unglück verkehren, gehört zu den ungeläuterten Vorstellungen, mit denen sich auch die griechische Vorzeit wie mit einer Art natürlich religiösem Durchgangspunkte getragen. — Dafs man indessen unserm Dichter (sc. Sophocli) nicht den nämlichen Irrthum zur Last legen darf, dafür berufe ich mich hier einzig auf jene Stelle des Ajax. V. 127—133 (locus aliqua ex parte jam supra allatus est et infra totus explicabitur), die freilich um so gewichtiger und entscheidender wird, als sie unmittelbar aus dem Munde einer hohen Göttin selbst kommt. Nicht das Glück beneiden die Himmlischen — Platon schliefst im Phaidros den Neid gänzlich von dem göttlichen Chore aus — sondern sie strafen den Uebermuth, welchen das Glück aufbläht. Dem Uebermüthigen aber gebricht jene in sich gehende Selbsterkenntnifs, die sich nur mit der Demuth vergesellschaftet und so weifs derselbe wegen des über ihn hereinbrechenden Verderbens nicht sich, sondern allein den Götterneid anzuklagen."

haud multum differat a pietate, hanc virtutem ad *Θέμιν* detulit Sophocles tuendam, si quidem apud eum canit chorus de Aegistho et Clytaemnestra [1]):

ἀλλ' οὐ τὰν Διὸς ἀστραπὰν
καὶ τὰν οὐρανίαν Θέμιν
δαρὸν οὐκ ἀπόνητοι.

Themidis filia *Δίκη* e Jove suscepta [2]) item a Sophocle inducitur. Quaecunque enim agunt homines „*τὸ χρύσεον τᾶς Δίκας δέδορκεν ὄμμα*“ [3]) poenamque exigere non moratur *ποίνιμος* dea atque „*τὸν ἄδικον ἀμείβεται*“ [4]). Clytaemnestra Agamemnonem violenta caede justas filiae immolatae poenas dedisse arbitrata non dubitavit, quod conjugi necem parasset, his excusare [5]):

ἡ γὰρ Δίκη νιν εἷλεν, οὐκ ἐγὼ μόνη.

Sed cum rem turpissimam honesta praescriptione tegere tentasset, chorus, ubi sceleris perpetrati conscientia sollicitatam somnioque quodam vehementer territam eam vidit, jam bona spe impletus haec edit verba [6]).

εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν
καὶ γνώμας λειπομένα σοφᾶς
εἶσιν ἁ πρόμαντις
Δίκα, δίκαια φερομένα χεροῖν κράτη.

Et Aegisthum advenientem supplicium justum et debitum jam subiturum conspiciens, approperare eum dicit [7]):

---

[1]) El. vs. 1046—1048.

[2]) Hes. theog. vs. 902.

[3]) fragm. 119 ap. Ahrens.

[4]) ibid.

[5]) El. vs. 515.

[6]) ib. vs. 465—469.

[7]) ib. vs. 1415.

λαθραῖον . . . .
πρὸς Δίκας ἀγῶνα.

Tum Thebanis, qui Laji caede non contacti in parricida investigando omni modo se adjuvarent, his precatur salutem Oedipus [1]):

ὑμῖν δὲ τοῖς ἄλλοισι Καδμείοις, ὅσοις
τάδ' ἐστ' ἀρέσκονθ' ἥ τε σύμμαχος Δίκη
χοἱ πάντες εὖ ξυνεῖεν εἰς ἀεὶ θεοί.

Denique Teucrus, quem Atridae fratrem justa sepultura condere vetuerant, haec inimicis imprecatur [2]):

τοιγάρ σφ' Ὀλύμπου τοῦδ' ὁ πρεσβεύων πατὴρ
μνήμων τ' Ἐρινὺς καὶ τελεσφόρος Δίκη
κακοὺς κακῶς φθείρειαν

simulque animadvertas velim epitheton illud „*τελεσφόρος,*" quod recte interpretatur Wunder, qui: „Justitia," inquit „appellatur *τελεσφόρος*, quod nullum scelus inultum patitur esse."

Praeter has vero deas fatales, de quibus diximus, quarum munus aperte versatur in sceleribus puniendis, vulgaris opinio alia quaedam sibi finxerat numina qualia sunt *Τύχη, Ἄτη, Ἀνάγκη.* Quae et ipsa quod induxit Sophocles, si quis ausus erit accusare poëtae stultam quandam et pravam superstionem, hoc tali judice nullus invenietur neque iniquior neque ineptior. Etenim quia mentibus eorum, quos inducit agentes, istiusmodi insidebat error longe ille quidem lateque diffusus, hominum qui proponuntur loquentes, non ipsius poëtae accusanda est superstitio, neque enim *Τύχη* illa, *Ἄτη, Ἀλάστωρ,*

---

[1]) Oed. R. vs. 268—270.

[2]) Aj. vs. 1361—63.

Ἀνάγκη pro numinibus Sophocleïs habenda sunt neque ea, quae quivis agens inductus de illis jactat ut sententiae Sophocleae afferendae. At jam de ipsis his numinibus breviter quaeramus.

Primum igitur ut *Τύχην* deam in quaestionem vocemus, nomen appellativum pariter atque Romanorum „fortuna" media est vox [1]), quare dativus *τύχῃ* adverbialiter usurpatus [2]) idem valet ac „forte." Significat igitur vox aliis locis secundam [3]), aliis adversam [4]) fortunam. Ac vitae humanae et aequam et iniquam conditionem in fortunae temeritate positam esse, cum pro certo haberet nuntius in Antigonam Sophocleam inductus, haec profitetur [5]):

οὐκ ἔσθ' ὁποῖον στάντ' ἂν ἀνθρώπου βίον,
οὔτ' αἰνέσαιμ' ἄν, οὔτε μεμψαίμην ποτέ.
τύχη γὰρ ὀρθοῖ καὶ τύχη καταῤῥέπει
τὸν εὐτυχοῦντα καὶ τὸν δυστυχοῦντ' ἀεί.

Neque Jocasta dubitat inepte talia jactare [6]):

τί δ' ἂν φοβοῖτ' ἄνθρωπος, ᾧ τὰ τῆς τύχης
κρατεῖ, πρόνοια δ' ἐστὶν οὐδενὸς σαφής;
εἰκῇ κράτιστον ζῆν, ὅπως δύναιτό τις.

Sed nuntius ille probaturus sententiam suam, si significat Creontem a summo fortunae culmine ad ultimum miseriae finem praecipitem tam subito dejectum, quantopere

[1]) cfr. Ant. vs. 328. 385.

[2]) Ant. vs. 1161.

[3]) Phil. vs. 758. 1051. Oed. R. vs. 80: „*τύχη σωτήρ.*"

[4]) Oed. R. vs. 258. Trach. vs. 325. Servitus vocatur *ἀναγκαία τύχη* (Aj. vs. 477) et mors (El. vs. 48).

[5]) Ant. vs. 1135—1139.

[6]) Oed. R. vs. 948—958.

dissentiat a poëta nemo non intelliget, quem non fugerit, Creontem perdidisse temerariam, qua usus erat, in Antigonam et Haemonem filium violentiam, quod quidem nuntium intuentem tantum in miseriam, non convertentem animum ad ejus fontem aperiendum prorsus praeteriit. Deinde quod non alienum fuit ab Jocastae levitate, ad Sophoclis gravitatem quam parum idem sit conveniens, consideretur velim. Sed qui isto modo de casibus incidentibus statuerunt, agnoscerent iidem auctoritatem *Τύχης* deae necesse fuit. Quapropter Oedipus, cui, cum vix in lucem editus in asperorum montium solitudine expositus esset, tamen obtigerat, ut non solum servatus educaretur in regia domo, sed etiam rex Thebanorum fieret, admirans hanc fortunae vicissitudinem eo adducitur, ut *Τύχης* filius sibi videatur esse [1]). Alio loco Sophocleo *Τύχην* deam equidem non inveni memoratam.

Deinde *Ἄτης* deae notionem, si quam brevissime explicare placet, nomen appellativum *ἄτη* a verbo *ἀάω* derivandum, quod et nocendi et decipiendi vel mentis aciei occaecandae habet vim, consentaneum est idem valere atque latinam vocem „damnum" vel illam „animi caecitatem." Qua si homines feruntur cum a nullo, quamvis sit nefarium, facinore abhorreant, non valde mirandum est, eosdem malorum, quae ex eo in se redundarunt, perspecta gravitate et acerbitate, tam prave sentire de diis, ut horum opera et culpa animnm occaecatum a recta via ad malas artes aberrasse clamitent atque invitum illum quidem et dira necessitate coactum. Ac jam apud Homerum videmus Agamemnonem violentiam, qua invectus

---

[1]) Oed. R. vs. 1051.

erat in Achillem, et detrimenta, quae inde totus acceperat exercitus, tali modo excusare [1]):

ἐγὼ δ᾿ οὐκ αἴτιός εἰμι,
ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις ἐρινύς,
οἵ τέ μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην
ἤματι τῷ ὅτ᾿ Ἀχιλλῆος γέρας αὐτὸς ἀπηύρων.

Quam superstitionem, cujus apud Homerum etiam alia exstant exempla [2]), in eo opinionis pravitate positam, ut numen quoddam hominem malis vexaturum prorsus perturbare ejus mentem et alienare credatur, qua animi perturbatione ad omne nefas, et, quae nefas necessario consequuntur, ad omnes calamitates feratur, hanc talem igitur superstitionem, qualem exprimunt jambi quos citat Lycurgus [3]):

ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά,
τοῦτ᾿ αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν,
τὸν νοῦν τὸν ἐσθλόν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
γνώμην, ἵν᾿ εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει

non alienam esse a vulgi perperam omnia sibi animo effingentis cogitatione, ne tragici quidem poëtae putarunt, siquidem scholiasta Sophoclëus [4]) hoc tribuit Aeschylo fragmentum:

ὅταν δ᾿ ὁ δαίμων ἀνδρὶ πορσύνῃ κακὰ
τὸν νοῦν ἔβλαψε πρῶτον ᾧ βουλεύεται,

a cujus fragmenti sententia non admodum abhorret ille locus Aeschyli, quem exhibet Plato [5]):

---

[1]) Il. τ. 86—88.

[2]) vid. Il. ζ. 234. ι. 377. ρ. 469. σ. 311.

[3]) contr. Leocratem §. 92 p. 198 R.

[4]) ad Ant. 616.

[5]) de rep. p. 380.

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλει.

Quid? nonne apud Sophoclem quoque chorus hanc edit sententiam [1]):

σοφίᾳ (γὰρ) ἔκ τοῦ
κλεινὸν ἔπος πέφανται,
„τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ᾽ ἐσθλὸν
τῷδ᾽ ἔμμεν ὅτῳ φρένας
θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.“
πράσσει δ᾽ ὀλιγοστὸν χρόνον ἐκτὸς ἄτας.

Quae non inepte poëta chorum facit canentem; mos enim est tragicorum et impetus, ut dedita opera afferant sententias vulgi sermone tritas, aut a poëtis, qui ante suam floruerunt aetatem, editas, id quod Schneidewinus et recte animadvertit et quibusdam exemplis satis probat [2]). Sed redeamus ad Agamemnonem Homericum. Qui, ubi suam temeritatem in divinae malevolentiae simulationem contulit, statim hanc quae ipsi quidem videbatur, versutam et fallacem nocendi rationem in singularem convertit deam, quam *Ἄτης* nomine appellatam sic describit [3]):

---

[1]) Ant. vs. 598 – 602.

[2]) ad l. l.

[3]) Il. *T*. 91 — 93. Non possum facere quin afferam hunc locum qui invenitur apud Max. Tyrium (diss. XIX. §. 8 u. 9):

ψεύδεται ὁ Ἐλπήνωρ λέγων·
ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακή
ψεύδεται Ἀγαμέμνων·
ἐγὼ δ᾽ οὐκ αἴτιός εἰμι
ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις ἐρινύς.

Ἔοικε δὲ καὶ ταυτὶ τὰ ὀνόματα εἶναι μοχθηρίας ἀνθρωπίνης εὔφημοι ἀποστροφαί, ἀναθέντων αὐτῆς τὴν αἰτίαν τῷ δαιμονίῳ καὶ ταῖς μοίραις καὶ ταῖς ἐρινύσι· οἱ δὲ ἐν μὲν ταῖς τραγῳδίαις ἐχέ-

πάντας ἀᾶται
οὐλομένη· τῇ μέν θ' ἁπαλοὶ πόδες· οὐ γὰρ ἐπ' οὔδει
πίλναται, ἀλλ' ἄρα ἥ γε κατ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει.

Ex ejusmodi caligine indoctorum animis offusa cum exorta sit Ἄτης deae notio, ut numinis omni consilio et ratione destitutos homines in quodvis facinus inducentis, facile nomini appellativo ea subjici poterat notio, ut significaret malum profectum ex illo furore, quem sive Ἄτη dea, sive quod malevolum numen hominum animis creditur injicere. Ex qua significatione in aliam non magna fuit vicissitudo atque mutatio ea, ut esset „noxa gravior vel calamitas divinitus miseris mortalibus immissa" [1]) atque saepe nihil indicaret nisi malum omnino et quaslibet res adversas [2]). Jam vero supra [3]) de Erinye disputantes quod animadvertimus, saepe fieri, ut res effecta rei efficientis

τωσαν χώραν (οὐ νεμεσῶ τοῖς ποιηταῖς τῶν ὀνομάτων) ἐν δὲ τῷ βίου δράματι μήποτε ταῦτα κενά. Ἡ δὲ ἐριννὺς καὶ ἡ αἶσα καὶ οἱ δαίμονες καὶ ὅσα ἄλλα διανοίας εἱμαρμένης ὀνόματα, ἔνδον ἐν τῇ ψυχῇ καθειρμένα καὶ τὸν Ἀγαμέμνονα ἐνοχλεῖ ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν. Ταῦτα καὶ τὸν Ἐλπήνορα εἰς μέθην ἄγει, ταῦτα καὶ τὸν Θυέστην ὠθεῖ ἐπὶ τὸν ἀδελφοῦ γάμον, ταῦτα δὲ τὸν Οἰδίποδα ἐπὶ τὸν τοῦ πατρὸς φόνον, ταῦτα καὶ τὸν συκοφάντην ἐπὶ τὰ δικαστήρια καὶ τὸν λῃστὴν ἐπὶ τὴν θάλατταν καὶ τὸν ἀνδροφόνον ἐπὶ τὸ ξίφος καὶ τὸν ἀκόλαστον ἐφ' ἡδονάς. Αὗται πηγαὶ συμφορῶν ἀνθρωπίνων· ἐντεῦθεν ῥεῖ τὸ τῶν κακῶν πλῆθος, ὡς ἀπὸ τῆς Αἴτνης τὸ πῦρ ῥεῖ, ὡς ἐξ Αἰθιοπίας ὁ λοιμὸς ῥεῖ.

[1]) Sunt verba Valckenaeri ad Eur. Hippol. vs. 276. Hujus significationis exempla Sophoclea inveniuntur in Oed. R. vs. 1178. vs. 1260. Oed. Col. vs. 198. Ant. vs. 570. El. vs. 217. Aj. vs. 194. Trach. vs. 840.

[2]) Oed. Col. vs. 525. Ant. vs. 593. 602. El. vs. 228. 919. 985. 1299. Aj. vs. 353. 829. 949. 1162.

[3]) pag. 14.

nomine nuncuparetur, etiam id quod affert malum, caussam dico mali vocatur *ἄτη* ut morbus Philoctetae [1]). Eadem ratione ex Oedipi sententia Antigona et Ismena duae sunt *ἆται*, quae

ματρὸς κοινᾶς ἀπέβλαστον ὠδῖνος [2]).

Aten vero deam quam parvi fecerit Sophocles nescio an jam ex eo satis possit colligi, quod nisi haec caneret in Tereo chorus [3]):

τῶν (γὰρ) ἀνθρώπων ζοὰν
ποικιλομήτιδες ἆται
πημάτων πάσαις μεταλλάσσουσιν ὥραις

nusquam diserte ejus mentionem facere poëtam recte posset contendi. Nam altero quodam loco si canit chorus [4]):

τόνδε (Oedipum) *κατάκρας*
δειναὶ κυματοαγεῖς
ἆται κλονέουσιν ἀεὶ ξυνοῦσαι,

---

1) „*δακέθυμος ἄτη*“ vs. 695. cfr. Trach. vs. 989. 1062. 1084.

2) Oed. Col. vs. 531. cfr. Ant. vs. 520. 831.

3) vide Welckeri librum qui inscribitur: „die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet“ tom. III. pag. 378.

4) Oed. Col. vs. 1237—1243. Aeschylus diserte huic deae flagitiorum puniendorum munus tribuit, legimus enim in Choëphoris (vs. 66 et 67 ed. Well.):

διαλγὴς ἄτη διαφέρει τὸν αἴτιον
παναρκέτας νόσου βρύειν.

et ab Electra invocatur Juppiter (ib. vs. 376—379):

κάτωθεν ἀποπέμπων
ὑστερόποινον ἄταν
βροτῶν τλήμονι καὶ πανούργῳ
χειρί. Solon Eleg. 11, 75:
ἄτη ἐκ κερδέων ἀναφαίνεται, ἣν ὁπόταν Ζεὺς
πέμψῃ τισομένην, ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

ἄτας hoc loco non pro deabus esse habendas, sed significare vocem nihil nisi „calamitates" per se patet. Adde quod idem poëta ἄτην saepe dicit calamitatem nefario vel temerario facinore contractam [1]). Oedipus enim et significans futuras piorum Atheniensium res secundas et perstringens filiorum, a quibus nefarie expulsus erat, impietatem, se dicit esse [2]):

κέρδη μὲν οἰκήσαντα τοῖς δεδεγμένοις,
ἄτην δὲ τοῖς πέμψασιν.

Similiter illa ἄτη de qua loquitur Creon, miseria est imminens civibus, qui malevolentiam in regem animo haberent reconditam [3]).

Neque quod Ajacis insania vocatur ἄτη κακή [4]) alia voci subjecta est vis, siquidem ejus et immodestiam et temeritatem poena consecuta erat insania illa.

Quae cum ita sese habeant, ἄτας illas vexatrices, quae vulgo feruntur, qualesque memoratas invenimus uno loco Sophocleo, ipsum poëtam pro deabus haberi voluisse quotusquisque contendet? Quod ut credam ego certe nullo possum adduci modo.

Quae Ἄτῃ deae vulgo tribuebantur, eam esse vexatricem in poenis exigendis nullam justitiae vel aequitatis legem sequentem, eadem per errorem multorum communem, sed nihilo minus gravem et manifestum comprehendebantur una cum Ἀλάστορος notione. Quae falsa

---

1) Boeckhius in disputatione altera, quam addidit ad editionem Antigonae (p. 212): „Ueberhaupt" inquit „ist ἄτη gewöhnlich Verderben, oder verderbender Frevel, selten bloſs Frevel."

2) Oed. Col. vs. 92.

3) Ant. vs. 185. cfr. vs. 1052. cfr. vs. 1200 sqq.

4) Aj. vs. 123.

opinio unde profecta sit, si quaeritur, ut de Ate dea disputantes animadvertimus, homines, suorum peccatorum parum memores, illius deae munus versari in flagitiis puniendis cum prorsus fugisset, nihil nisi temerariam vexatricem eam esse duxisse, sic opinionis errore capti, quae vera *Ἀλάστορος* sit vis et natura, omnino non intellexerunt. At est *Ἀλάστωρ* „*ἔφορος δαίμων τῶν τὰ ἄλαστα πεποιηκότων*" [1]) et recte Ellendtius [2]): „prima significatio videtur dei Vindicis atque maleficium quasi comitantis." Quod eo loco Sophocleo probatur, ubi Oedipus in terra Thebanorum, a quibus senex et inops patria ejectus erat, suum dicit *ἀλάστορα* in perpetuum remansurum esse [3]). Atque in Antigona si legimus [4]):

Ἄρης δισσοῖσι Φινεΐδαις
εἶδεν ἀρατὸν ἕλκος
τυφλωθὲν ἐξ ἀγρίας δάμαρτος
ἀλαὸν ἀλαστόροισιν ὀμμάτων κύκλοις
ἀραχθέντων ὑφ' αἱματηραῖς
χείρεσσι κ. τ. λ.

de nominis adjectivi „*ἀλάστορος*" vi si ingeniose animadvertit Welcker: „*ἀλάστορος* bedeutet hier ungefähr so viel als racheschreiend. In den blutigen Augen der unschuldigen Kinder verkündigen sich sofort Rachegeister; diese Wunden sind als Wahrzeichen der Rache eingegraben, welche bevorsteht," nisi nominis substantivi significatio esset vindicis, sub adjectivo ejusmodi sententia nullo modo potuit subjici. Tum vero, id quod jam supra

[1]) Ellendt in lexico Sophocleo s. v. „*ἀλάστωρ*."
[2]) l. l. s. v. „*ἀλάστωρ*."
[3]) Oed. Col. vs. 785.
[4]) vs. 928.

animadvertimus, cum vindicis munus non respiceretur, fieri potuit, ut *ἀλάστωρ* significaret vexatorem pariterque atque *Ἄτη* hominibus sana mente destitutis pravissimi cujusque facinoris auctor esse crederetur. Quare Hyllus Herculi patri, ut se mortuo in matrimonium duceret Jolam, filium oranti et obtestanti, neminem respondet tale aliquid perpetraturum esse, nisi qui *ἐξ ἀλαστόρων νοσοῖ* [1]), ubi recte scholiasta „*ἐκτὸς ὢν μανίας καὶ ϑεηλασίας.*" Neque solum deus vexator, sed etiam homo quivis maleficus *ἀλάστορος* nomine compellebatur: Ajax certe, quod Atridae et Ulixes ultrices suas manus effugerint, sic queritur [2]):

ὢ δύςμορος, ὃς χερὶ μὲν μεϑῆκα τοὺς ἀλάστορας.

Denique etiam bestia mortifera et vexatrix vocatur apud Sophoclem „*βουκόλων ἀλάστωρ,*" Nemeaeum dico leonem [3]).

Praeter hoc vero, de quo modo diximus, vexandi munus, etiam alia quaedam vis, quae evitari non posset, fato tributa *Ἀνάγκης* nomine appellabatur. Quam Thyestes tam invictam sibi finxit, ut non dubitaret jactare haec [4]):

πρὸς τὴν ἀνάγκην οὐδ' Ἄρης ἀνϑίσταται

cum qua voce conferre placet Simonideum illud:

ἀνάγκῃ οὐδὲ ϑεοὶ μάχονται.

Futura vero fata praesertim ea, quae in totam quandam terram et in universam gentem irruerent, cum a diis praefinita necessario rata fieri nemo iret infitias, ejus-

---

[1]) Trach. vs. 1215.

[2]) Aj. vs. 362.

[3]) Trach. vs. 1072.

[4]) vid. Welckerum l. l. pag. 368. „Diram" adumbravit Horatius necessitatem Od. lib. III. carm. 24. vs. 6 sqq., et „saevam" Od. lib. I. carm. 35. vs. 17 sqq. cf. Ant. 1061.

modi calamitatis imminens ruina quam certo esset constituta, quo magis illustraretur, verba: *ἀνάγκη ἐστί* usurpabantur, ut ab Heleno, quem Neoptolemus refert praedixisse [1]):

ὡς ἔστ' ἀνάγκη τοῦ παρεστῶτος θέρους
Τροίαν ἁλῶναι πᾶσαν.

Et fata futura a diis constituta, cum ab oraculis potissimum indicarentur, quaecunque haec praedixerunt quoniam evenire constabat, ejusdem vocis aptus et consentaneus erat locus in significando ejus rei eventu, quae oraculorum auctoritate nitebatur. Sciscitantem igitur Theseum, qua tandem ex caussa Eteocles et Polynices filii Thebas patrem arcessuri essent ubi docuerat Oedipus his [2]):

τὸ θεῖον αὐτοὺς ἐξαναγκάσει στόμα

iterum interroganti [3]):

ποῖον πάθος δείσαντες ἐκ χρηστηρίων;

respondet [4]):

ὅτι σφ' ἀνάγκη τῇδε πληγῆναι χθονί.

Vestis illa Herculi perniciosa cruore Nessi infecto venenatae sagittae contagione tincta, cum ei attulisset malum, cujus nullum restabat remedium nullaque inveniri potuit medela, non inepte dicitur heros vexari *δολοποιῷ ἀνάγκῃ* Centauri [5]), simulque hoc modo respicit chorus ad necessitatem fati oraculi voce patefacti, secundum quod hoc ipso tempore Herculi de vita discedendum erat. At

1) Phil. vs. 1312 et 1313.
2) Oed. Col. 602.
3) ib. vs. 603.
4) ib. vs. 604.
5) Trach. 822.

Phaedra Sophoclea ad excusandam amoris, quo in Hippolytum flagrabat turpitudinem, si exclamat [1]):

Αἴσχη μὲν ὦ γυναῖκες, οὐδ' ἂν εἷς φύγοι
βροτῶν πόθ', ᾧ καὶ Ζεὺς ἐφορμήσοι κακά.
νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν.

quam sit levis, quid dico levis? immo prorsus inanis hic verborum praetextus, quis non videt?

Postremo si chorus in Oedipo Rege insolentissimum quemque irruere dicit [2]) *εἰς ἀνάγκην,*
ἔνθ' οὐ ποδὶ χρησίμῳ
χρῆται
hoc loco „*ἀνάγκην*“ non esse fati vim malum afferentis, quod neque declinari neque vitari possit, sed quod superbiam et impietatem sequatur, nemo non intelliget.

Praeter eas, de quibus modo disputavimus, deas fatales exstant etiam alia quaedam nomina, quibus fatalis illa vis saepe notatur, de quibus deinceps videamus.

Omnes, qui inciderent, casus sive secundi sive adversi non ex suo arbitrio pendere, neque in sua potestate verti cum intelligerent homines, revocabant eos ad divinam quandam vim, cui *δαίμονος* nomen imponebant, quod in universum numen divinum significare sciebant [3]). Illam

---

[1]) vide Welckerum l. l. pag. 398.

[2]) Locum jam supra (pag. 23) attulimus totum.

[3]) De hac vocis *δαίμονος* significatione et de illa, secundum quam certum quendam deum denotat, hoc loco omitti potest disputatio. Quare cum ille *πανδαμάτωρ δαίμων* (Phil. vs. 1440) neque Hercules, neque *τύχη* (vid. schol.) neque „tempus,“ quod Schneidewino placet, neque „fatalis necessitas dei cujuspiam voluntate constituta,“ quod quidem Hermanno visum est, possit esse, sed Jovem sic vocari, cujus *βουλεύματα* Hercules detule-

fortunae distribuendae vim huic numini tributam invenimus in fragmento quod secundum Welckerum[1]) Teucro fabulae vindicandum est, ubi haec legimus:

τοὺς δ' αὖ μεγίστους καὶ σοφωτάτους φρενὶ
τοίουςδ' ἴδοις ἄν, οἷός ἐστι νῦν ὅδε,
καλῶς κακῶς πράσσοντι συμπαραινέσαι·
ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τὸ πρὶν
πλάστιγγ'[2]) ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον,
τὰ πολλὰ φροῦδα καὶ καλῶς εἰρημένα

cum quibus conferre placet haec[3]):

οὐ χρή ποτ' εὖ πράσσοντος ὀλβίσαι τύχας
ἀνδρὸς, πρὶν αὐτῷ παντελῶς ἤδη βίος
διεκπερανθῇ, καὶ τελευτήσῃ βίον.
ἐν γὰρ βραχεῖ καθεῖλε κὠλίγῳ χρόνῳ
πάμπλουτον ὄλβον δαίμονος κακοῦ δόσις,
ὅταν μεταστῇ καὶ θεοῖς δοκῇ τάδε.

Quapropter Polynices Antigonae sorori omnibus precibus, ut abjiceret patriae belli inferendi consilium ipsi perniciosum oranti respondet[4]):

ταῦτα δ' ἐν τῷ δαίμονι
καὶ τῇδε φῦναι χἀτέρᾳ.

Atrocissimae calamitatis auctor invenitur *δαίμων* in

---

rat (vs. 1387) recte contendant Elmsleïus, Gedikius, Buttmannus, Wunder, Ellendtius, non versabitur quaestio nostra in illo loco pluribus illustrando.

[1]) l. l. pag. 139.

[2]) Secutus sum Ellendtii emendationem, vulgo legitur *μάστιγγ'*. Totum locum in latinum sermonem vertit Cicero (Tuscul. III, 29).

[3]) Vindicatur haec sententia a Welckero (l. l. pag. 217) „Aletae" sive „Erigonae" fabulae.

[4]) Oed. Col. vs. 1438.

Oedipo Rege. Etenim de misero patris interfectore et matris conjuge cum retulisset ἐξάγγελος [1]):

φοιτᾷ γὰρ ἡμᾶς ἔγχος ἐξαιτῶν πορεῖν,
γυναῖκά τ' οὐ γυναῖκα, μητρῴαν δ' ὅπου
κίχοι διπλῆν ἄρουραν οὗ τε καὶ τέκνων.
λυσσῶντι δ' αὐτῷ δαιμόνων δείκνυσί τις·

ubi chorus ipsum eum oculos sibi effodisse certior factus est, haec ex infortunato quaerit [2]):

τίς σ', ὦ τλῆμον, προςέβη μανία;
τίς ὁ πηδήσας μείζονα δαίμων
τῶν μακίστων
πρὸς σῇ δυςδαίμονι μοίρᾳ;

Antigona patre se orbatam esse ut cognovit, queritur [3]):

αἰαῖ, ποῖ μόλωμεν, ὦ Ζεῦ;
ἐλπίδων γὰρ ἐς τίν' ἔτι με
δαίμων τὰ νῦν γ' ἐλαύνει;

tum comparans sortem sibi imminentem cum Niobae in saxum perennem lacrimarum vim profundens commutatae, exclamat [4]):

ᾇ με δαί-
μων ὁμοιοτάταν κατευνάζει.

Sed ne omnibus his locis sententias Sophocleas nobis invenire videamur cavendum est. Nam Polynici sororis precibus obsequenti potestas erat abjiciendi impii belli consilii, tum vero etiam impietate sua in patrem hujus incurrit exsecrationem.

---

[1]) vs. 1231—1234.
[2]) vs. 1276—1279. cf. vs. 1283 sqq.
[3]) Oed. Col. vs. 1729—1731.
[4]) Ant. vs. 801 et 802.

Tum ne Oedipum quidem fugit excaecatione oculorum se ipsum sibi auxisse calamitatem; sedata enim animi perturbatione, respiciens ad illud temporis momentum, quo sibi manus intulerat, non dubitat profiteri[1]):

ἔζει θυμός

quibus paullo post addit[2]):

κἀμάνθανον τὸν θυμὸν ἐκδραμόντα μοι
μείζω κολαστὴν τῶν πρὶν ἡμαρτημένων.

Neque Antigona ruina a *δαίμονι* importata oppressa est, sed quamquam non ignorabat, Creontem ei minatum esse necem, qui Polynicem conderet terra, tamen suam tuita et secuta liberam voluntatem fratre sepeliendo interitum sibi paravit. Postremum quis fuerit ille *δαίμων*, qui ex Tecmessae sententia flagitiosa facinora docuit Ajacem[3]), nemini potest esse ambiguum: Minerva enim illi insaniae furorem immiserat, haud vero temere, sed quia impium consilium exercitus ducum occidendorum et ceperat et exsecuturus erat heros, licet Tecmessa una cum eo in miseriam ex illa insania profectam insons incideret neque inepte providens futuram servitutis turpitudinem exclamat[4]):

κἀμὲ μὲν δαίμων ἐλᾷ..

Ceterum quoniam *δαίμων δίκαιος* memoratur[5]), fortunas omnes pro libidine, ut ita dicam, ab eo distribui vetamur opinari. Neque igitur temere impertiet *πλούτου ἀξίαν χάριν*[6]), neque injuste favet Agamemnonis libe-

[1]) Oed. Col. vs. 430. cf. ib. vs. 198. vs. 1206 et 1207.

[2]) vs. 434.

[3]) Aj. vs. 238 et 239.

[4]) Aj. vs. 496. cf. ib. vs. 526.

[5]) Oed. Col. 1550.

[6]) fragm. (ap. Welck. pag. 106) ex Scyriadibus.

ris[1]) patris caedem ulturis. Atque Chrysothemis etiamsi in Aegisthum et Clytaemnestram intuens, de his praedicat[2]):

δαίμων δὲ τοῖς μὲν εὐτυχὴς καθ' ἡμέραν,
ἡμῖν δ' ἀποῤῥεῖ κἀπὶ μηδὲν ἔρχεται

tamen, cum ipsa illam, quae videbatur esse, *δαίμονος* tristitiam et severitatem mitigasset his verbis[3]):

τοῖς αὐτοῖσί τοι
οὐχ αὐτὸς ἀεὶ δαιμόνων παραστατεῖ.
νῷν δ' ἦν τὰ πρόσθεν στυγνός, ἡ δὲ νῦν ἴσως
πολλῶν ὑπάρξει κῦρος ἡμέρα καλῶν,

tum qui fortunatissimi videbantur esse, Aegisthum dico et Clytaemnestram, poena gravissima jam non remorata est[4]).

Sed haec de hoc numine, jam venimus ad aliud quiddam. Homines enim non omnem fortunae conditionem comparandam in suo positam esse arbitrio cum perspicerent, tum mortis omnibus futurae vim minime in sua potestate sitam esse videntes, item eam singulari cuidam numini tribuerunt *Κηρί*, potissimum ad violentam mortem illustrandam. Apud Sophoclem vero de Laji interfectore si dicit chorus[5]):

---

[1]) El. vs. 1287.

[2]) El. vs. 982 et 983. Similis sententia exstat apud Herodotum haec (lib. I. cap. 207): „ἐκεῖνο πρῶτον μάθε, ὡς κύκλος τῶν ἀνθρωπηΐων ἐστὶ πρηγμάτων· περιφερόμενος δὲ οὐκ ἐᾷ αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν. cf. Trach. 437.

[3]) El. vs. 899 — 902.

[4]) Interdum secundum eandem sermonis consuetudinem, quam de Erinye et Ate disputantes, significavimus, ipsa fortunae conditio vocatur „δαίμων" ut Oed. R. vs. 1164. Oed. Col. vs. 76. 1332. cf. fragm. 585: „μὴ στεῖρε πολλοῖς τὸν παρόντα δαίμονα."

[5]) Oed. R. vs. 462 — 465.

ἔνοπλος γὰρ ἐπ᾽ αὐτὸν ἐπενθρώσκει
πυρὶ καὶ στεροπαῖς ὁ Διὸς γενέτας·
δειναὶ δ᾽ ἅμ᾽ ἕπονται
Κῆραι ἀναπλάκητοι·

hoc loco, quin *Κῆρας* sint propositae puniendi munere fungentes nemo erit qui dubitet. Nec Philoctetam prorsus temere gravi illo morbo qui *κηρός* nomine appellatur [1]), afflictum fuisse cum hic suspicemur, tum infra suspicionis tentabimus afferre argumenta. Ceterum puniendi munus non alienum esse ab hujus deae vi et natura jam apparet ex Hesiodo, sive nescio quo horum versuum interpolatore [2]):

καὶ Μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο (sc. *Νύξ*) *νηλεοποίνους*
Κλωθώ τε Λάχεσίν τε καὶ Ἄτροπον, αἵτε βροτοῖσι
γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε,
αἵτ᾽ ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραβασίας ἐφέπουσαι
οὐδέποτε λήγουσι θεοὶ δεινοῖο χόλοιο,
πρίν γ᾽ ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν, ὅστις ἁμάρτῃ,

ubi recte annotat Goettlingius, verba:

„*αἵτε βροτοῖσι — κακόν*" *τε* pertinere ad *Μοίρας*,

illa vero:

„*αἵτ᾽ ἀνδρῶν — ἁμάρτῃ*" ad *Κῆρας*

referenda esse.

Poenarum temere et injuste exigendarum notionem non inesse in *Κηρῶν* munere, cum negatum sit, ne cum *πότμου* quidem nominis appellativi significatione ea conjungenda

---

[1]) Phil. vs. 42. cf. 1142. Uno loco Sophocleo (Trach. vs. 130) *Κηρῶν* nomine „res adversae" notantur et alio loco ejusdem fabulae (vs. 451) nomen appellativum interprete scholiasta idem valet atque „*μερίς, κλῆρος, μοῖρα, τύχη.*"

[2]) Theog. vs. 217 — 222.

erit notio, ut sortem vel calamitatem forte ac temere hominibus obtingentem denotare hanc vocem etiam Sophocli persuasum fuisse arbitreris. Nam Oedipus Laji interfectori omnes Thebanos operam navare investigando postquam jussit, quod pergit in hunc modum [1]):

καὶ ταῦτα τοῖς μὴ δρῶσιν εὔχομαι θεούς
μήτ' ἄροτον αὐτοῖς γῆς ἀνιέναι τινά,
μήτ' οὖν γυναικῶν παῖδας, ἀλλὰ τῷ πότμῳ
τῷ νῦν φθερεῖσθαι, κἄτι τοῦδ' ἐχθίονι,

non immeritam edictum suum neglecturis imprecatur calamitatem. Tum ne *πότμον* illum *τὸν νῦν* i. e. praesentem tunc temporis pestilentiam ex dei cujusquam arbitrii temeritate in Thebanos irruisse credas velim caveas considerans, illam stragem ob Laji regis caedem tamdiu inultam urbi immissam esse. Deinde *πότμον* Labdacidarum, ad quem respicit Antigona [2]), incidisse non sine ulla caussa antecedente, quamquam infra accuratius expposituri sumus, tamen jam hic audemus contendere, licet Polynices peregrini exercitus dux suam ipsius patriam oppugnaturus ea utatur excusatione, ut „*τοῦ κακοῦ πότμου*" se sibi videri *φυθέντα* praetexat [3]) (quae quam sit inanis quis non videt?), licet Antigona *πότμον* suum deploret [4]), licet denique Creon Antigonae atque Haemonis filii mortis auctor etiam Eurydicam conjugem mortem sibi conscivisse, ubi ex nuntio cognovit, exclamet [5]):

τίς ἄρα, τίς με πότμος ἔτι περιμένει;

---

[1]) Oed. Col. vs. 264—267.

[2]) Ant. vs. 828.

[3]) Oed. Col. vs. 1318 et 1319.

[4]) Ant. vs. 846.

[5]) ib. vs. 1236. cf. vs. 1273 sqq.

respondemus ad quaerimoniam illius his utentes chori verbis[1]):

σὲ δ' αὐτόγνωτος ὤλεσ' ὀργά

ac persuasum habemus, Creon qua sua ipsius culpa in tantam inciderit miseriam, satis patere. Chorus ad repellendum *δολερᾶς φρενὸς* crimen, in quod a Philocteta vocatus erat, haec respondens[2]):

πότμος, πότμος σε δαιμόνων τάδ', οὐδὲ σέ γε δόλος
ἔσχ' ὑπὸ χειρὸς ἐμᾶς

pro iis, quae modo de ejusdem herois *Κῆρι* animadvertimus, non temerarium *πότμον* videtur significare. Atque cum Ismena, quod queritur[3]):

ὢ τάλαινα, τίς ἄρα με πότμος
ὑπομένει σέ τ', ὦ φίλα, πατρὸς ὧδ' ἐρήμας;

quamquam non exprobramus, tamen his nostram de *πότμῳ* Sophocleo opinionem refutari non concedimus, nec si ὁ *Σοφοκλέους Μενέλαος* (sunt Plutarchi verba) *ταύτην εἰκόνα τῆς αὑτοῦ τύχης παρατίθησιν·*

ἀλλ' οὑμὸς αἰεὶ πότμος ἐν πυκνῷ θεοῦ
τροχῷ κυκλεῖται καὶ μεταλλάσσει φύσιν,
ὥσπερ σελήνης δ' ὄψις εὐφρόνας δύο
στῆναι δύναιτ' ἂν οὔποτ' ἐν μορφῇ μιᾷ,
ἀλλ' ἐξ ἀδήλου πρῶτον ἔρχεται νέα
πρόςωπα καλλύνουσα καὶ πληρουμένη,
χὤτανπερ αὑτῆς εὐγενεστάτη φανῇ
πάλιν διαῤῥεῖ κἀπὶ μηδὲν ἔρχεται,

---

1) ib. vs. 842.
2) Phil. vs. 1096 et 1097.
3) Oed. Col. vs. 1699 et 1701. cf. Trach. vs. 90.
4) Demetr. cap. 15.

etiam Sophoclem tam fortuito sineque ulla caussa incidere fortunae vicissitudines credidisse, ut statuamus non possumus animum inducere.

Ad rem „sorte vel fato certam et constitutam“ (sunt Ellendtii [1]) verba) significandam duobus locis Sophocleïs passivi perfecti participium invenimus usurpatum verbi *πορεῖν*, cujus hic modus unus est usitatus. Oedipus enim filiis imprecatur haec [2]):

ἀλλ' οἱ θεοί σφι μήτε τὴν πεπρωμένην
ἔριν κατασβέσειαν

et chorus in Antigona edit hanc sententiam [3]):

πεπρωμένης
οὐκ ἔστι θνητοῖς ξυμφορᾶς ἀπαλλαγή.

Illa vero *ἔρις* quin juste fuerit *πεπρωμένη* filiis Oedipi nemo dubitabit, neque quidquam habet miri, talem, qualis altera est sententia, vulgarium hominum ore teri. Deinde nomen appellativum *αἶσα* a *ΔΑΙΩ* verbo, quod idem valet ac „distribuo“ deducenda, significat id, quod impertitur, tum vero imprimis eam, quam fortuna impertit sortem denotat. Sic vocatur Ajacis insania, in quam quibus ex caussis injectus sit jam memoravimus, *αἶσα ἄπλατος* [4]), ut, quamquam Dejaniram tum jam non levitatis errore lapsam dicit chorus exspectare [5]):

κακὰν,
δύστανον . . . . . αἶσαν,

non ubique distribuendi rectam rationem huic voci deesse

---

[1]) in lexico Sophocleo s. v. *πορεῖν*.

[2]) Oed. Col. vs. 417.

[3]) vs. 1271 et 1272.

[4]) Aj. vs. 274.

[5]) Trach. vs. 107 et 108.

intelligatur. Fata nexens inducitur *Αἶσα* dea his verbis: *περιώσι' ἄφυκτά τε μήδεα παντοδαπᾶν βουλᾶν ἀδαμαντίναις ὑφαίνεται κερκίσιν Αἶσα,* qui tamen locus num vere Sophocleus sit (qualem Dindorfius[1]) vult haberi) nec ne, et Ellendtio videtur addubitandum esse, neque a Welckero, Ahrensio agnoscitur.

Dearum fatalium et nominum appellativorum, de quibus modo disseruimus, non eam esse vim, ut temerariae vexatrices, vel immanitatis fati injusti significationes esse possint credi, satis explanatum est. Quod ne de *Μοίρᾳ* quidem sive de *Μοίραις,* quae proprie deae fatales appellantur, concedimus. Nam cum antiquissimis temporibus Noctis filiae ferrentur esse[2]), ut hominum ingenia ab immani feritate ad humaniorem vitae cultum revocati sunt, eam cogitationis mansuetudinem susceperunt, secundum quam *Μοῖραι* ipsius Jovis et *Θέμιδος* filiae fingebantur esse, ut earum quoque munus ab honestate tuenda et turpitudine exstirpanda non prorsus alienum fuisse haud contemnenda exstent indicia. Quod jam docet ea ratio qua nomen appellativum *μοῖρα,* a verbo *μείρεσθαι* ductum usurpatur, cujus cum partis[3]) significatio sit antiquissima, tum denotat debitam quoque partem, unde facile proficiscitur notio ejus quod fas est. Qui usus apparet ex eo loco Sophocleo, ubi Hercules postquam Hyllum filium

---

[1]) fragm. 604.

[2]) Hesiod. theog. vs. 217. Licet hic locus ut spurius cum Goettlingio uncis includendus sit, hoc tamen ex eo apparet, antiquissimis temporibus eam notionem hominum animis insitam fuisse, secundum quam *Μοῖραι* Noctis filiae credebantur esse.

[3]) Trach. vs. 160.

patre combusto ne Jolam in matrimonium duceret recusare atque deprecari audivit, haec facit verba[1]):

ἀνὴρ ὅδ᾽, ὡς ἔοικεν, οὐ νεμεῖν ἐμοὶ
φθίνοντι μοῖραν.

Quapropter si Philoctetes[2]):

χαῖρ᾽ inquit, *ὦ Λήμνου πέδον ἀμφίαλον,*
καί μ᾽ εὐπλοίᾳ πέμψον ἀμέμπτως
ἔνθ᾽ ἡ μεγάλη Μοῖρα κομίζει κ. τ. λ.

non hic notatur fati fortuita et temeraria vis, sed significatur ex Sophoclis animo sapientis divini numinis providentia, quae in tempore hominibus ad sua consilia exsequenda utitur ministris. At chorus in Antigona memoria adversae fortunae Cleopatrae permotus, quae repudiata, nullo in se admisso peccato, a Phineo conjuge in carcerem inclusa erat, his verbis illius tristem sortem significat[3]):

κἀπ᾽ ἐκείνᾳ
Μοῖραι μακραίωνες ἔσχον.

Hujus loci auctoritatem quicunque mihi objecerit, parum videbitur considerare, esse chorum, qui haec proferat verba idque consolaturum Antigonam, qui si etiam hoc loco miseriae virgini immoderationem illam exprobrasset, id quod in tempore omnino non negligit, rationem profecto secutus esset, qua nihil potuit ineptius cogitari. Accedit ad haec, quod idem chorus in eodem carmine cantico Lycurgum memorat, quem ipsum sibi contraxisse calamitates neque ignorat et, quae flagitia perpetraverit non solum diserte aperit, sed etiam graviter vituperat. Tum etiam illud animadvertendum est, summo jure signi-

[1]) ib. vs. 1218 et 1219. cf. Oed. Col. vs. 274.

[2]) Phil. vs. 436 — 438.

[3]) vs. 940 et 941.

ficasse Boeckhium [1]), Cleopatrae et Danaae exemplum a Sophocle allatum esse multo magis propter similitudinem mortis illius et Antigonae, quam ad fati vim illustrandam. Ceterum *Μοῖραν* invenientes apud Sophoclem memoratam de fati utique licentia et immanitate vel ea re vetamur cogitare, quod idem mentionem facit *μοιριδίας* cujusdam *τίσεως* [2]) id est poenae, quam repetit *Μοῖρα* dea, ut non perturbet nos haec vox [3]):

ἀλλ᾽ ἁ μοιριδία τις δύνασις δεινά·
οὔτ᾽ ἄν νιν ὄλβος οὔτ᾽ Ἄρης,
οὐ πύργος, οὐχ ἁλίκτυποι
κελαιναὶ νᾶες ἐκφύγοιεν

quae est chori Danaae insontis miseriam respicientis opinio, non poëtae sententia.

Praeterea etiam duae inveniuntur voces, quae usurpantur ad vim fatalem significandam. Quarum prior „*τὸ μόρσιμον*" bis invenitur apud Sophoclem. Custos enim Creonti nuntium sepulti Polynicis allaturus, ne rex se ipsum perpetrasse hoc facinus suspicetur timens:

„*τῆς ἐλπίδος*" inquit [4]), „*ἔρχομαι δεδραγμένος*
τὸ μὴ παθεῖν ἂν ἄλλο ἢ τὸ μόρσιμον"

vox consentanea profecto ad indolem vulgaris hominis. Tum Alcestidi simul cum Admeto mortem oppetere cupienti respondet chorus [5]):

ἥξεις, ἐπείγου μηδὲν, εἰς τὸ μόρσιμον

---

[1]) vide ejus adnotationes ad hunc locum in editione Antigonae fabulae (pag. 268).

[2]) Oed. Col. vs. 224.

[3]) Ant. vs. 913—916.

[4]) Ant. vs. 231 et 232.

[5]) vide Welck. l. l. pag. 343.

ubi illud „τὸ μόρσιμον" speciem mortis, quam nemo mortalium effugere possit, significandae videtur prae se ferre. Denique quamquam Εἱμαρμένην deam nullam induxit Sophocles, tamen memorat: „πρὸς θεῶν εἱμαρμένα [1]), sed facile apparet, nihil haec esse nisi fatorum, quae dii constituerint, futurum eventum, quae non prorsus inique constituta fuisse infra de Trachiniis disputantes speramus nos esse probaturos.

Omnia quae usque ad hunc locum disseruimus, si una comprehensione quasi complecti libet, in eo nobis videmur satis elaborasse, ut explanatum sit, ne ab earum quidem dearum fatalium munere, quae non tam manifestae sint scelerum ultrices quam Ἐρινύς, Θέμις, Δίκη, Νέμεσις, meritas poenas exigendas abhorruisse, nec raro etiam sub nominum appellativorum notione, quibus fati vis significetur, eam subjectam esse sententiam, ut ratione illud et consilio proponant moderatum. Quae cum ita sint, quamquam nondum demonstravimus, errare, qui etiam a Sophocle expressam esse dicant vim fatalem vel ipsis diis imperantem, tamen de temeritate et saevitia fati, qualiscunque ejus est potentia, omnis sublata est cogitatio. Qua de re si nulla jam exstat dubitatio, ut quaeratur sequitur, quae intercedat ratio inter vim illam fatalem et deorum auctoritatem, num exsistat haec dearum, quae dicuntur, fatalium propria, vel communis earum et deorum superorum, an nihil sint illae nisi horum ministrae inservientes eorum consiliis exsequendis partibusque ab his datis.

Quae res in quaestionem vocanda haud magnis videtur obstructa esse difficultatibus. Exstant enim quibus nita-

---

[1]) Trach. vs. 166.

mur indicia eaque tam solida tamque expressa, ut, qui eorum auctoritate a dubitatione non revocetur, nesciam an merito hunc dicam nimis defixum esse in opinione praejudicata. Etenim si totius mundi gubernatio, si omnis vitae conditio, si oraculorum gravitas ac sanctitas ad „θεῶν" auctoritatem revocatur, si omnino deae fatales, cum deorum tam frequenter factam mentionem respexeris, raro memorantur a Sophocle, illos fatali illa vi inferiores esse non poterit contendi.

Quos et quid universis civitatibus, et quid singulis hominibus aut fortunae secundae obtingat, aut adversae accidat impertire et immittere creditos fuisse primum demonstremus.

Pestilentia, qua vexabatur Thebanorum civitas, ad deos revocata [1]) auctores, cum desiisset saevire, atque Argivorum exercitus, urbi atrocissima quaeque minitans, fusus fugatusque esset, Creon coram senibus [2]):

„*Ἄνδρες*, inquit, *τὰ μὲν δὴ πόλεος ἀσφαλῶς θεοὶ πολλῷ σάλῳ σείσαντες ὤρθωσαν πάλιν.*

Atque Teucrus intuitus in Ajacis miseriam, quae e fatali Hectoris gladio ei videbatur profecta esse, quam significaverat deorum vim ad omnem hominum vitae conditionem comparandam valentem [3]), hanc nusquam videmus debilitatam fati cujusdam interventu. Oedipus enim ob *φόνους, γάμους, ξυμφοράς* (senis post sui ipsius excaecationem misera sors intelligenda est), quae Creon ei crimini dederat,

---

[1]) Oed. Tyr. vs. 269. cf. ib. vs. 34.

[2]) Ant. vs. 158 et 159.

[3]) Aj. vs. 1009 et 1010.

[4]) Oed. Col. vs. 961 et 962. cf. ib. vs. 964 et 965.

non vult suam accusatam culpam, hanc afferens caussam [4]):

θεοῖς γὰρ ἦν οὕπω φίλον
τάχ' ἄν τι μηνίουσιν εἰς γένος πάλαι

patrisque infelicis, ubi ad Eumenidum lucum accessit, Ismena sperat [1]):

θεοὺς
ὥραν τιν' ἕξειν

studetque eum recreare hoc solatio [2]):

νῦν γὰρ θεοί σ' ὀρθοῦσι, πρόσθε δ' ὤλλυσαν.

Tum Oedipus, e fulmine tonitruque tempus sibi adesse ex aerumnosa vita discedere ut animadvertit, Theseo haec ex eo quaerenti [3]):

ἐν τῷ δὲ κεῖσαι τοῦ μόρου τεκμηρίῳ;

respondet [4]):

αὐτοὶ θεοὶ κήρυκες ἀγγέλλουσί μοι,
ψεύδοντες οὐδὲν σημάτων προκειμένων,

ardentemque desiderio pergendi ire ad locum sibi destinatum, impellit, ut ipsius verbis utar [5]) „τοὐκ θεοῦ παρόν." Filiarum vero patre se orbatas esse vehementer querentium chorus his tentat sedare luctum [6]):

τὸ φέρον ἐκ θεοῦ καλῶς
μηδὲν ἄγαν φλέγεσθον.

De fratribus haec refert Ismena [7]):

νῦν δ' ἐκ θεῶν τοῦ κἀξ ἀλιτηροῦ φρενὸς
εἰςῆλθε τοῖν τρισαθλίοιν ἔρις κακὴ
ἀρχῆς λαβέσθαι καὶ κράτους τυραννικοῦ.

---

1) ib. vs. 381 et 382.
2) ib. vs. 390.
3) ib. vs. 1496 et 1497.
4) ib. vs. 1496 et 1497.
5) ib. vs. 1520.
6) ib. vs. 1676 et 1677.
7) ib. vs. 367—369.

Qui ictu mutuo transfixi ubi ceciderunt Argivorumque exercitus in fugam se convertit, Creon[1]):

νεοχμὸς νεαραῖσι θεῶν
ἐπὶ συντυχίαις χωρεῖ.

De Antigona quam grave supplicium sumpturus esset Creon, cum cognovisset chorus, omnium Labdacidarum calamitatum *θεόν τινα* esse auctorem affirmat[2]), deque ipsa illa virgine queritur[3]):

κατ᾽ αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κόνις.

Creontem Polynicem insepultum jacere qui jussisset, quantam in se admisisset culpam non modo his admonuit vates[4]):

κᾆτ᾽ οὐ δέχονται θυστάδας λιτὰς ἔτι
θεοὶ παρ᾽ ἡμῶν, οὐδὲ μηρίων φλόγα

sed etiam ipse rex, ejusmodi chori verbis petitus[5]):

χρὴ δὲ τά γ᾽ ἐς θεοὺς
μηδὲν ἀσεπτεῖν,

ad quem fortunae suae stragem referret, neminem habuit nisi „*θεόν*[6])." Quamquam falso haec ita dicit, quasi insons a deo vexatus sit. Et custos, vulgaris ille homo, qui Polynicis sua ipsius manu sepulti incurrisset suspicionem Creontis, quamvis magnum fuisset periculum, de ipso ne supplicium sumeretur, ubi nihilominus salvum atque integrum se vidit dimitti „*ἐκτὸς ἐλπίδος γνώμης*," „*θεοῖς*" confitetur se debere „*πολλὴν χάριν*[7])." Deinde Orestes patris ulciscendi desiderio motus deorum nititur auctori-

---

1) Ant. vs. 153 et 154.
2) ib. vs. 580. cf. vs. 570.
3) ib. vs. 583.
4) ib. vs. 973 et 974.
5) ib. vs. 1280 et 1281.
6) Ant. vs. 1215.
7) ib. vs. 331.

tate [1]), quod postquam aperuit sorori, non potest haec facere, quin profiteatur [2]):

ἔφρασες ὑπερτέραν
τᾶς πάρος ἔτι χάριτος, εἴ σε θεὸς ἐπόρισεν
ἁμέτερα πρὸς μέλαθρα· δαιμόνιον
αὐτὸ τίθημ᾽ ἐγώ.

Fratrem maternam caedem aggredientem videns, non dubitat filia patris amantissima implorare Apollinis fidem, ut favens Orestis consiliis impiae matris occisae exemplo doceat hominibus [3]):

τἀπιτίμια
τῆς δυςσεβείας οἷα δωροῦνται θεοί.

Postea Ajax exercitus ducibus ferrum caedemque illaturus cum a Minerva in furorem conjectus esset, Ulixes, hujus tantae divinae potentiae summa affectus admiratione, exclamat [4]):

γένοιτο μεντ᾽ ἂν πᾶν θεοῦ τεχνωμένου.

Quare et suo jure haec praedicat dea [5]):

ὁρᾷς, Ὀδυσσεῦ, τὴν θεῶν ἰσχὺν ὅση,

et recte Ajacis insania „*θεῖα νόσος*" vocatur [6]) neque immerito Menelaus diis suam ceterorumque ducum salutem debet et integritatem [7]). Qui per simulationem jactasset in posterum se non dubitaturum esse „*θεοῖς*" *εἴκειν* [8]), nihilo vero secius potuisset inducere ferocem animum, ut se ad modestiam applicaret, is talis „*θεοῖς*" mortuus esse apte dicitur a Tecmessa [9]), quae item deorum

---

[1]) El. vs. 70.
[2]) ib. vs. 1246—1251.
[3]) ib. vs. 1363 et 1364.
[4]) Aj. vs. 86.
[5]) ib. vs. 118.
[6]) ib. vs. 185. cf. vs. 270.
[7]) vs. 1030. cf. vs. 1101 et 1102.
[8]) vs. 647 et 648.
[9]) ib. vs. 943.

auctoritate servitutis molestias se perpeti pro certo habet[1]). Hercules victor „*Εὐρύτου πέρσας πόλιν*[2])," offert (sunt nuntii verba):

ἀπαρχὰς θεοῖσι τοῖς ἐγχωρίοις[3])

virginumque florem

ἐξείλεθ' αὑτῷ κτῆμα καὶ θεοῖς κριτόν[4]).

Quem praeter Deianirae exspectationem jam in eo esse, ut domum integer rediret cum nuntiatum esset, uxor laeta erecta spe diis gratias agere jubet mulieres, cujus dominae edicto etiam chorus se praebet obedientem, si quidem et cantu et saltatione tum Apollinem, tum Minervam Ortygiam *γείτονάς τε νύμφας* celebrat[5]). Vestem autem quam Herculi miserat, conjugi perniciosam fuisse ut comperit, ad aras quae in domibus erant, confugit[6]), diis certe, qui tantam calamitatem admiserint, dolorem suum patefactura. Omnino vero dii Herculis vitae exitum constituerant[7]), quem virgines Trachiniae jam non instare ratae his consolari student Dejaniram metu et angore sollicitatam[8]):

ἀλλά τις θεῶν
αἰὲν ἀναμπλάκητον Ἅιδα σφε δόμων ἐρύκει.

Denique Philoctetes omni acerbissimorum dolorum genere excruciatus propter „*θεῖα* haec *παθήματα*[9])" „*θεοῖς*" sibi videtur „*πικρὸς*" esse[10]) idemque in hunc modum queritur[11]):

ἀλλ' οὐ γὰρ οὐδὲν θεοὶ νέμουσιν ἡδύ μοι.

---

[1]) ib. vs. 481.
[2]) Trach. vs. 241.
[3]) ib. vs. 180.
[4]) ib. vs. 242.
[5]) ib. vs. 203 sqq.
[6]) ib. vs. 904.
[7]) vs. 166.
[8]) vs. 117 et 118.
[9]) Phil. vs. 190. cf. vs. 1096 sqq. vs. 1298.
[10]) ib. vs. 253.
[11]) ib. vs. 1003.

Atque et arcus ejus, et ipse miser cum „θεοῦ" auctoritate [1]) Graecorum exercitui non solum desideratus, sed etiam ad Trojam capiendam necessarius coepisset esse, quoniam hanc ob rem arcessito teterrimi morbi remedium inveniebatur, divina, non μοιριδίᾳ auctoritate fiebat, ut ab omnibus molestiis aliquando liberaretur. Ac penes *Μοῖραν*, vel omnino penes vim fatalem, quocunque nomine notatur, summam esse potentiam ad hominum fata moderanda, si persuasum fuisset Sophocli, parum sane fuit consentaneum, apud eundem poëtam ad deos potissimum fieri preces, ut hominum rebus faveant adversamque fortunam averruncent. Nam quod Furiae implorantur [2]) et Dirae [3]), nec sunt hae preces omnes tam expressis verbis significatae, quam eae quibus dii adeuntur et plerumque una cum illis numinibus etiam vel superi, vel inferi invocantur [4]). Praeterea semper fere sic implorantur numina illa, quae dicuntur, fatalia, ut nisi praesentium opitulandi vim ac facultatem nullam esse appareat [5]), neque opitulantia eadem excedunt eos fines, quibus, quod proprium credebatur eorum esse munus, circumscriptum est, verbi gratia: ultrici sua vi ubique orantur, ut faveant, nusquam vero praeter

---

[1]) ib. vs. 1021.

[2]) Oed. Col. vs. 84 sqq. vs. 1007—1009. Oed. Col. vs. 1386. Aj. vs. 818 sqq. vs. 1392. El. vs. 111 sqq.

[3]) Oed. Col. vs. 1370. El. l. l.

[4]) El. vs. 110. Aj. vs. 812 et 813. Oed. Col. vs. 1386. Quod Ἀραί solae invocantur (Oed. Col. vs. 1008) parvi est momenti, nam illo loco inducuntur proprio suo munere fungentes.

[5]) Ad Furias et Diras Electra se convertit his verbis (vs. 115).

ἔλθατ' ἀρήξατε κ. τ. λ.

et Oedipus Ἀρὰς vult sibi

ἐλθεῖν ἀρωγοὺς συμμάχους (Oed. Col. vs. 1009).

unum locum[1]) valentes ad hominum fortunam omnino moderandam. Quae res in uno deorum arbitrio posita esse ducitur. Nullum igitur esse periculum, nullum discrimen, nullas denique angustias, quin valeret numen divinum ad salutem calamitosi ex his expediendam, cum unusquisque pro certo haberet, ut Thebanorum civitati eique jacenti prostrataeque medeantur, Minervam, Dianam, Apollinem, Jovem, Bacchum, omnibus precibus orat chorus[2]). Pestilentia postquam saevire desiit exercitusque hostium aufugit, cum illae preces auditae essent, facere non possunt senes Thebani, quin haec pronuntient[3]):

θεῶν δὲ ναοὺς χοροῖς
παννυχίοις πάντας ἐπέλθωμεν.

Electra quominus ad deorum templa confugiat se impediri ab Aegistho et Clytaemnestra acerbe queritur[4]), qui sine dubio deos eam imploraturam esse ultores suspicati, ne ratae fierent hae preces animo angebantur. Ajaci, ne manus sibi afferens suos derelinqueret in orbitate, haec revocat in animum Tecmessa[5]):

---

[1]) Oedipus ad Eumenidum lucum ubi accessit, quod primum haec adit numina precibus (Oed. Col. vs. 84 et 85) eo minus debilitat divinam potentiam, quo disertius insequentibus versibus Apollinis auctoritas, quam secutus miserrimus senex illum lucum expetierat, illustratur. Paene oblitus essem animadvertere illa, quae Ajax Ἐρινὺν et Δίκην (vs. 1390) velit perficere, non tam precis quam desiderii speciem prae se ferre.

[2]) Oed. R. vs. 159 sqq.

[3]) Ant. vs. 148 et 149.

[4]) ib. vs. 894.

[5]) Aj. vs. 499—501.

αἴδεσαι δὲ μητέρα
πολλῶν ἐτῶν κληροῦχον, ἥ σε πολλάκις
θεοῖς ἀρᾶται ζῶντα πρὸς δόμους μολεῖν.

Cui se morem gesturum esse ubi per simulationem promisit, addit [1]):

ἀλλ' ἀμφὶ μὲν τούτοισιν εὖ σχήσει, σὺ δὲ
ἔσω θεοῖς ἐλθοῦσα διὰ τέλους, γύναι,
εὔχου τελεῖσθαι, τοὐμὸν ὧν ἐρᾷ κέαρ.

Deianira, ut *δέλτον* illam quam Hercules ipsi reliquerat, „*πημονῆς ἄτερ*" habeat, deos orat [2]). Postremum Philoctetes, etsi saepius fortunam suam accusans simul de deorum gubernatione mundi questus est, tamen doloris acerbitas ei extorsit exclamationem, qua deorum fidem implorat [3]).

Deorum igitur spectatur vis per septem, quae supersunt, tragoedias Sophocleas valens ad omnes res et prosperas et adversas comparandas, ut probetur Ajacis illa vox [4]):

ξὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κὠδύρεται.

Sed ne ullus relinquatur locus appositus ad persuadendum, etiam oraculorum, quibus futuri casus significantur, quae sit ratio, considerandum est, num in divina, an in fatali quadam vi eorum sanctitatem ac religionem Sophocles positam esse duxerit. Qua quaestione, si hic poëta primas partes dedisset *Μοίρᾳ* ceterisque numinibus, penes quae omnem vim fatalem esse vulgaris erat opinio, quid foret ut expediatur, perspicuum est. Etenim qui vim fa-

[1]) ib. vs. 665 — 667.

[2]) Trach. vs. 48.

[3]) vs. 720. cf. vs. 722.

[4]) Aj. vs. 373.

talem vel diis superiorem sibi finxisset poëta, nonne eidem ipsa haec vis etiam oraculis praeficienda fuit, quibus quae constituisset, aperiret? Talem vero poëtae superstitionem qui accuset locus, invenitur nullus omnino. Contra deorum potentiam etiam pertinere ad oraculorum voces edendas, qui probent, multi exstant et graves. Quid? nonne oracula „*θεῶν*" vocantur „*μαντεύματα* [1])," nonne oraculum, quod Herculi futuros casus significavit, est „*τοὔπος τὸ θεοπρόπον τᾶς παλαιφάτου προνοίας* [2])," nonne ipse Juppiter praeest oraculo Dodoneo, Apollo Delphico? A Parcis illud munus in eos delatum esse ubinam sunt indicia, ex quibus tale aliquid colligatur? Immo non solum oracula sunt deorum propria, sed etiam omnium vaticinationis generum hi sunt auctores. Tiresias enim, vaticinans ex avium clangore, ex apice flammae extisque comburendis [3]), Apollinis se esse ministrum libere profitetur [4]). Et quod Helenus vates ille *εὐγενής* [5]), *ἀριστόμαντις* [6]) ut Philoctetes arcesseretur suaserat, hoc eum ut deorum voluntatis interpretem fecisse, apparet ea ex re, quod Neoptolemus ad Philoctetam respiciens: „*τοῦτον*" inquit [7]), „*θεὸς εἶπε κομίζειν.*" Atque in iis quoque, quae somniis portenduntur, deorum spectari vim, docent preces quibus Clytaemnestra adit Apollinem [8]).

Quae cum sit deorum Sophocleorum potentia atque gravitas, quin hi omnium rerum teneant principatum etsi jam non potest dubium esse, tamen ut omni ex parte

---

[1]) Oed. R. vs. 916.
[2]) Trach. vs. 813 et 814.
[3]) Ant. vs. 953 sqq. cf. Oed. R. vs. 305. vs. 390.
[4]) Oed. R. vs. 495.
[5]) Phil. vs. 596.
[6]) ib. vs. 824.
[7]) ib. vs. 824.
[8]) El. vs. 631—634.

quaestio absolvatur, ut locos afferamus restat, qui exhibeant numina fatalia eam cum diis ineuntia rationem, ut utrorum superior sit potentia manifestum fiat. Ac si forte cuipiam etiam hoc loco quaedam ambigua relicta esse videbuntur, Jovis quae sit potentia ad fata moderanda et administranda, cum exposuero, omnis sublata erit dubitatio. Itaque ut res faciles enucleatu viam nobis aperiant ad difficiliora invenienda, si primum videndum est de *πότμῳ*, cum Oedipus quem edictum suum neglecturis imprecatur *πότμον*, deos oret, ut ratum faciant, cum Philoctetes *πότμῳ δαιμόνων* dicatur vexari, cum Menelai ille *πότμος* „*ἐν πυκνῷ θεοῦ τροχῷ*" versetur, *πότμος* quantopere pendeat a deorum auctoritate intelligimus. Idem cadit in *αἶσαν*, quae *ἄπλατος* Ajaci scelesta facinora perpetraturo a Minerva immissa erat. Tum *πεπρωμένη* illa *ἔρις* filiorum Oedipi, quod pater deos adit, nolint committere ut componatur, nisi a diis non potuit esse constituta. Ceterum id quod jam supra significavimus, ne *Εἱμαρμένης* quidem deae adumbravit Sophocles notionem, cujus singulare quoddam sit munus, sed nihil agnoscit, nisi „*θεῶν εἱμαρμένα*." Item *ἀνάγκην* non exsistere quin a diis imposita sit, vel id nobis persuadet, quod nomen appellativum persaepe usurpatur a Sophocle ad certum oraculorum eventum significandum [1]), quae in deorum auctoritate posita esse demonstravimus. Et *ἀνάγκην* illam [2]), cui Creon putat non *δυςμαχητέον* esse, Polynicis dico sepeliendi necessitatem, quin dii imposuerint Tiresiae verba dubitare vetant. Eadem est ratio loci e Phaedra fabula supra [3])

---

[1]) vide supra pag. 35 et 36.

[2]) Ant. vs. 1061.

[3]) pag. 39.

allati, ubi memorantur *νόσοι θεήλατοι*, in quibus perferendis *ἀνάγκη* illa exsistat. Uno loco quod *ἀνάγκης* nominis appellativi notionem jam propius accedere vidimus ad numinis cujusdam vim adumbratam, cui ne Mars quidem resistere possit [1]), hanc non Sophocleam esse deam sed Thyestis opinione finctam, nescio an justis ex caussis pro recto habeamus. *Τύχην* vero omnem a diis proficisci cum doceant tales voces, quales sunt: *θεία τύχη* [2]), *ἐκ θεῶν τύχαι δοθεῖσαι* [3]), *θεῶν συντυχίαι* [4]), *θεῶν ξυναλλαγαί* [5]), *θεῶν δυςπραξίαι* [6]), tum quod Tecmessa, *ἀναγκαίαν* quam subierat *τύχην* [7]) aperte in deos confert [8]), quod Oedipus ubi Creontem dei responsum relaturum jam accedere cognovit, cum exclamet [9]):

ὦναξ Ἄπολλον, εἰ γὰρ ἐν τύχῃ γέ τῳ
σωτῆρι βαίη, λαμπρὸς ὥσπερ ὄμματι

ac paullo post sic pergat [10]):

ἢ γὰρ εὐτυχεῖς
σὺν τῷ θεῷ (sc. Apolline) *φανούμεθ᾽ ἢ πεπτωκόνες*

quod his, quae sit *τύχης* conditio, ex Apollinis pendere arbitrio diserte significatur, quod Menelaus Ajacis temerarium conatum perstringens et hujus *τύχην* adversam (furorem in quem conjectus erat) et suam ipsius ceterorumque secundam (vitam incolumem servatam) Minervae tribuit [11]), nonne haec sunt argumenta, quae quam clarissime proponant divinam potentiam, qualis spectetur in *τύχης*

1) vide supra pag. 35.
2) Phil. vs. 1298.
3) ib. vs. 1289.
4) Ant. vs. 153 et vs. 159.
5) Oed. R. vs. 34.
6) Aj. vs. 740.
7) Aj. vs. 477.
8) Aj. vs. 481.
9) Oed. R. vs. 80 et 81.
10) ib. vs. 145 et 146.
11) Aj. vs. 1030 sqq.

casibus moderandis? Ac quod Oedipus *Τύχης* deae filium se esse jactat, quam parvi hoc sit faciendum neminem fugiet, nedum recordantem ejusdem vocem, qua calamitates suas a diis deductas vult. Ad *Ἄτην* vero si jam pergere placet, non invenimus eam apud Sophoclem tanta vi ornatam, quanta Homerica illa utebatur, cujus eam esse potentiam Agamemnoni quidem persuasum erat, ut non dubitaret jactare [1]):

καὶ γάρ δή νύ ποτε Ζεὺς ἄσατο.

Etenim de Oedipi *ἄταις ἀγρίαις* [2]), quomodo judicandum sit, cum jam saepius significaverimus, quos pro veris malorum suorum auctoribus habuerit, non est quod quaeramus. Item de Ajacis *ἄτης* [3]) origine omnem supra studuimus tollere dubitationem. Ac virgines Trachiniae si canunt [4]):

ἁ δ' ἐρχομένα μοῖρα προφαίνει δολίαν καὶ μεγάλαν ἄταν,

cum haec *ἄτη* posita esset in *„παγᾷ δακρύων"* eorum, quibus Hercules eriperetur in hujusque *νόσῳ*, id est in miseriarum acerbitate, quae consequebantur raptam Jolam, quoniam earundem virginum haec est vox [5]):

ἁ δ' ἀμφίπολος Κύπρις ἄναυδος φανερὰ τῶνδ' ἐφάνη πράκτωρ,

ne ille quidem locus, quominus nostra de *ἄτης* vi opinio probetur, impedimento esse potest. *Ἄτη* ea, ad quam

---

[1]) Il. τ. 95.

[2]) Oed. R. vs. 1178. cf. ib. 1260. Oed. Col. vs. 198. ib. vs. 525. vs. 1239.

[3]) Aj. vs. 123. cf. vs. 194. vs. 829. vs. 949.

[4]) Trach. vs. 840.

[5]) ib. vs. 849.

spectat chorus in Antigona [1]), non irruit, nisi poena, si quis Jovis summam potentiam stulte audebit contemnere. Et quid multa? cum *θεός* sit, qui *ἄγει πρὸς ἄταν* [2]), cum haec inveniantur chori verba [3]):

οἷς γὰρ ἂν σεισθῇ θεόθεν δόμος, ἄτας
οὐδὲν ἐλλείπει γενεᾶς ἐπὶ πλῆθος ἕρπον

quod uno loco Sophocleo *ἆται ποικιλομήτιδες* memorantur [4]), quae homines omni malorum genere vexent, in quibus vel divina quaedam gravitas inesse videatur, cavendum erit, ne quis tantopere labatur, ut has munere ipsarum proprio ac singulari fungentes inductas esse arbitretur, praesertim cum et *Ἄτη* Homerica Agamemnone teste a Jove patre de coelo in terram dejecta sit ac detrusa, et Juppiter Aeschyleus eam de coelo ad ulciscenda scelera in terram demiserit [5]). Eodem modo etiam *Ἀλάστορα* Jovis arbitrio servire consentaneum est, siquidem *Ζεὺς ἀλάστωρ* passim nominatur [6]), ut non abhorrere videatur a verisimilitudine, attributum illud a Jovis ornamentis decerptum in singularis numinis notionem abiisse. Loci certe Sophoclei, quibus exhibetur *ἀλάστωρ* sive *ἀλάστορες*, de numine valente singulari vi prorsus non ut cogitetur permittunt. Etenim de leone Nemeaeo *ἀλάστορι*, deque Phinidarum *ἀλαστόροισιν ὀμμάτων κύκλοις,* quid statuendum sit, cum satis pateat, tum item scholiasta recte judicandi aperit rationem, *νόσον* illam *ἐξ ἀλαστόρων,* quae Hylli animo obversabatur, nihil esse dicens nisi *μανίαν* et *θεηλασίαν,* neque Oedipi *ἀλάστωρ* Thebanos in perpetuum

---

1) vs. 593.
2) Ant. vs. 601.
3) ib. vs. 559.
4) vide supra pag. 31.
5) l. l. supra pag. 32.
6) Eustath. 415, 20. 1415, 17. 763, 25.

vexaturus, quoniam idem deos saepe, ut ulciscantur injuriam ac turpitudinem, qua affectus patria careret, precibus adit, potuit suo arbitrio, sed tantum a diis immissus Oedipo obsequi. Nec *δαίμων* ille etsi quibusdam locis „*θεοῖς*" oppositus invenitur bona et mala impertiens, tamen pro sua libidine nullas potest afferre fortunae vicissitudines, quem supra [1]) viderimus tum demum valere ad pervertendum *πάμπλουτον ὄλβον, ὅταν θεοῖς δοκῇ τάδε.*

Denique *Μοῖραν* sive *Μοίρας*, cum imprimis fatis distribuendis praeesse vulgo crederentur, quam parvi fecerit Sophocles vel ex eo intelligitur, quod bis [2]) tantum ab eo memorantur nulla earum numeri singularumque nominis facta significatione. Ac malam, quam hae impertiunt *μοῖραν,* accidere ut poenam a diis constitutam ex his percepimus chori verbis [3]):

εἰ δέ τις ὑπέροπτα χερσὶν ἢ λόγῳ πορεύεται,
δίκας ἀφόβητος, οὐδὲ δαιμόνων ἕδη σέβων,
κακά νιν ἕλοιτο μοῖρα δυςπότμου χάριν χλιδᾶς,

Paeterea afferre placet hoc fragmentum [4]):

πάντων ἄριστον μὴ βιάζεσθαι θεοὺς,
στέργειν δε μοῖραν,

quippe quae a diis impertita sit. Itaque et *μόρσιμον* illud e deorum consilio aptum esse dicatur necesse est, nec *Μοῖραι* illae *μακραίωνες* in Cleopatram irruentes suo arbitrio vexabant innocentem Boreae filiam, immo ipse Jup-

[1]) pag. 37.

[2]) Trach. vs. 840: eorum notio in nominis appellativi vim abiit, quare non opus est littera grandi.

[3]) Oed. R. vs. 858—860. cf. ib. vs. 371 et 372. Oed. Col. vs. 1442—1445.

[4]) nro. 487 ap. Ahrens.

piter cruciatus, quo in ejus integritatem saevierat scelestus conjux, aliquando repetiit poenam. Et quod *μακραίωνες* illae appellantur, ex Sophoclis sententia, si quid video, in ea positum est ratione, quod cum divinam fatorum distribuendorum exprimant facultatem, quoniam dii ea ex aeterno tempore constituerunt, etiam illa horum numinum vis aeterna valuerat. Postremum *μεγάλη*, quae vocatur, *Μοῖρα* non commutasset mentem et consilium Philoctetae, nisi adjuvante Jove, *πανδαμάτορι* illo *δαίμονι*, cujus *βουλευμάτων* Hercules de coelo demissus erat interpres.

Jam vero cum fine huic de *Μοίραις* quaestioni imposito eo processerit disputatio nostra, ut de iis numinibus, quorum munus potissimum in poenis repetendis positum erat, *Κῆρας* dico, *Ἀρὰς, Νέμεσιν, Θέμιν, Δίκην, Ἐρινύν* videndum sit, si dii Sophocleï gravissimi scelerum ultores inventi erunt, ab his puniendi munus ad illa delatum esse recte et vere existimabitur. Atque haec ita sese habere diisque, quippe qui vocentur „*κολασταὶ κἀπιτιμηταὶ κακῶν*[1])," homines improbos invisos esse vel ex eo perspicitur, quod Philoctetes Ulixem, quem propter nefariam, quae ipsi videbatur, astutiam in divinum odium incurrisse arbitraretur, „*θεοῖς ἔχθιστον*" compellat[2]) et Oedipus Laji interfectorem, qui propter sceleris atrocitatem *μίασμα* sit *χώρας*[3]), ut alia omittam, jubet[4]):

μήτ᾽ ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασιν
κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.

Idem poëta Creontem inducit choro hanc proponentem quaestionem[5]):

---

1) fragm. 526 ap. Ahrens.
2) Phil. vs. 1013.
3) Oed. R. vs. 97. cf. ib. vs. 236.
4) ib. vs. 234 et 235.
5) Ant. vs. 284.

ἢ τοὺς κακοὺς τιμῶντας εἰςορᾷς θεούς;

Et quam certam homines collocatam habeant fiduciam in deorum justitia nullum scelus impunitum esse patiente, Philoctetae docemur exemplo. Qui eos, quos pro inimicissimis sibi habebat, quibusque auctoribus quin in atrocissimam miseriam detrusus esset nullus ei relinquebatur dubitationis locus, cum vidisset non solum impunitos, sed etiam florentes, neque eventum habitura esse viderentur, quae iis imprecatus erat mala[1]), etsi acerbe perstrinxerat hoc deorum consilium ac rationem, tamen ab iisdem inimicis se desiderari coeptum esse ubi primum cognovit, tandem aliquando deos a socordia inerti ad gravem justitiam revocatos esse colligit, haec enim facit verba[2]):

οὔποτ᾽ ἂν στόλον
ἐπλεύσατ᾽ ἂν τόνδ᾽ οὕνεκ᾽ ἀνδρὸς ἀθλίου,
εἰ μή τι κέντρον θεῖον ἦγ᾽ ὑμᾶς ἐμοῦ.

Quare tales addit preces[3]):

ἀλλ᾽, ὦ πατρῴα γῆ, θεοί τ᾽ ἐπόψιοι,
τίσασθε, τίσασθ᾽ ἀλλὰ τῷ χρόνῳ ποτὲ
ξύμπαντας αὐτούς, εἴ τι κἄμ᾽ οἰκτείρετε.

His locis quibus dii proponuntur injuriarum omnino vindices scelerumque ultores, quod alios eandem illustrantes virtutem addamus, eo minus esse putamus, quo magis jam ii, qui allati sunt, satis videntur locupletes esse. Ceterum quibus singularium scelerum illi praedicantur ultores, ut ὕβρεως, δυςσεβείας, eos praemittemus quaestioni de numinibus suscipiendae, quibus haec vitia persequenda tribuebat vulgaris opinio. Qua in quaestione priusquam

---

1) vs. 312—314.

2) vs. 1019—1021.

3) vs. 1022—1024.

pro virili nostra parte elaborare tentemus, de *Κηρῶν* videamus auctoritate necesse est. Quam qualemcunque se praestet, a diis totam tributam esse mihi quidem persuadet Trachiniarum quidam locus, ubi chorus, quem intuentem in casus vitae humanae non fugiat, neminem inveniri mortalium, qui in eadem perpetuo versetur fortunae conditione, postquam harum vicissitudinum Jovem ipsum significavit auctorem, illam sententiam sic pergit explicare [1]):

μένει γὰρ οὔτ' αἰόλα νὺξ βροτοῖσιν, οὔτε Κῆρες κ. τ. λ.

vox idonea sane quae probet unicuique, quam inanis sit *Κὴρ* nulla aucta divina gravitate. Neque illo loco, quo *Κῆρες* Laji interfectorem persequentes inducuntur [2]), suo arbitrio, sed duce Apolline hanc agunt rem, atque illud quoque pro certo habeo quod *δειναὶ ἀναπλάκητοι* appellantur, in hunc modum eas ornatas esse a poëta, quo magis convenirent ad ducem „*πυρὶ καὶ στεροπαῖς*" armatum clariusque et disertius illustraretur supplicii de parricida sumendi gravitas.

Exsecrationes vero ut ratas faciant, cum dii invocentur ab Oedipo et nominatim ab eodem Helius [3]) et praeter Furias

τὸ Ταρτάρου
στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος [4])
et Mars,

quod consentaneum fuit *θεῶν* memori *ἀράν* [5]), quae intercedat ratio inter Dirarum munus et vim divinam, facile

[1]) vs. 130.
[2]) supra pag. 41.
[3]) Oed. Col. vs. 465.
[4]) Oed. Col. vs. 1385 et 1386.
[5]) Trach. vs. 1219.

cernitur, ut ne *δεινόποδα* illam *Ἀράν,* qua parentes Oedipum devoverunt, invitis diis nihil agere potuisse appareat. Et Electra licet Diras et Furias invocet, tamen una cum his domum *Ἀΐδου καὶ Περσεφόνης* et *χθόνιον Ἑρμῆν* adit, ut ultores sibi auxilio veniant orans [1]). *Νέμεσιν,* de qua jam sequitur quaestio, quod Sophocles, etsi graviter *ὕβρεως* vitium ubique perstringit, semel tantum induxit numen superbiam et insolentiam frangens, fecit nimirum eam ob caussam, quia penes deos ipsos hanc esse potentiam maluit credi. Quare Neoptolemus a choro ut obsequatur supplicis Philoctetae precibus admonetur

τὰν θεῶν

νέμεσιν ἐκφυγών [2])

et audito *ἐμπόρου* illius nuntio per simulationem et dissimulationem referentis de Atridis omnibus artibus Philoctetam arcessendum curantibus, ex illo quaerit [3]):

τίς ὁ πόθος αὐτοὺς ἵκετ᾽ ἢ θεῶν βία
καὶ νέμεσις, οἵπερ ἔργ᾽ ἀμύνουσιν κακά;

Haud magni igitur facimus *Νέμεσιν* mortui, quemadmodum simulabatur, Orestis ab Electra invocatam, nam cum mater nuntio mortui filii allato impie gavisa et hujus tantae insolentiae et conjugis occisi poenas daret easque diis Orestis consiliis faventibus, summa horum spectatur vis. Denique magna vel propria et singulari potentia praeditam si sibi finxisset *Νέμεσιν* Sophocles, idoneum sane habuit locum quo non solum ejus vim celebraret, sed si placeret, etiam agentem eam induceret, illam dico fabulam, quae inscribitur „Ajax." Contra hic cum „*θεῶν*" cele-

---

[1]) vs. 110 sqq.

[2]) vs. 509 et vs. 510.

[3]) vs. 593 et 594.

bretur *ἰσχύς, πρὸς* quorum *δυςπραξίαις* prosternautur „*τά τε περισσὰ κἀνόητα σώματα,*" tum Minerva in scenam producitur Ajacis ferociam deprimens.

Ad *Θέμιν* igitur et ad *Δίκην* interdum conjunctam cum Furiis [1]) cum jam convertendus sit animus, si justitiae omnisque pietatis leges ab ipsis diis constitutas et sancitas esse demonstratum erit, etiam horum numinum enucleata esse ratio videbitur. Atque illud ita esse et profecto exsistere ejusmodi leges docent tales voces: *θεῶν ἔνορκος δίκα* [2]) et *δαιμόνων δίκη* [3]), in qua posita sunt illa

ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα [4])

de quibus Antigona [5]):

οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ᾽ ἀεί ποτε
ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξότου φάνη

eademque magnificentissime praedicantur hoc carmine [6]):

Εἴ μοι ξυνείη φέροντι
μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων ἔργων τε πάντων,
ὧν νόμοι πρόκεινται
ὑψίποδες, οὐρανίαν
δι᾽ αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος
πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν
θνατὰ φύσις ἀνέρων
ἔτικτεν, οὐδὲ μήν ποτε λάθα κατακοιμάσει·
μέγας ἐν τούτοις θεός, οὐδὲ γηράσκει.

Itaque diis *δίκης μέλειν* ne Philoctetam quidem fugerat [7]), et Polynicis hac deorum virtute fretus ad sorores respiciens:

---

1) Aj. vs. 1362. Trach. vs. 800.
2) Ant. vs. 359.
3) ib. vs. 865.
4) ib. vs. 440 et 441.
5) ib. vs. 443 et 444.
6) Oed. T. vs. 836 — 845.
7) vs. 1019.

σφὼ δ' οὖν ἐγώ, inquit[1]):

θεοῖς ἀρῶμαι μή ποτ' ἀντῆσαι κακῶν,

ἀνάξιαι γὰρ πᾶσίν ἐστε δυςτυχεῖν.

Quapropter Θέμις illa οὐρανία[2]) cum non sola sed una cum Διὸς ἀστραπᾷ memorata sit et

Δίκη ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις[3])

quoniam hi νόμοι sunt ipsae illae leges justitiae et pietatis, quas modo illustravimus, quin utrumque numen Jovi ut ministras ad exornandam hujus dei summae justitiae notionem additum sit, mihi certe non videtur dubium esse, ad eandemque rem spectat ὑψηλός ille Δίκης θρόνος memoratus[4]). Et Clytaemnestra Agamemnonis occisi caussam in Δίκην conferens, deorum quandam sibi fingit justitiam, qui Agamemnoni talem paraverint exitum propter Dianam offensam.

Pietatis vero leges cum item Furiae tueantur, etiam hae sub eandem cadent rationem atque Θέμις et Δίκη. Νόμους enim illos a diis profectos esse et modo vidimus, et ex aliis quoque locis perspicitur, quantopere, quam ad rem potissimum spectat Furiarum munus, εὐσέβεια servanda diis cordi sit. Nam ex Jolao Welcker haec exhibet verba[5]):

Ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,

ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος.

Tum Oedipus ad Coloniates[6]):

ἱκνοῦμαι πρὸς θεῶν ὑμᾶς, ξένοι,

ὥσπερ με κἀνεστήσαθ', ὧδε σώσατε,

---

1) Oed. Col. vs. 1440 et 1441.

2) El. vs. 1047.

3) Oed. Col. vs. 1347.

4) Ant. vs. 822.

5) l. l. pag. 373.

6) Oed. Col. vs. 271—277. cf. ib. vs. 1119—1122.

καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἶτα τοὺς θεοὺς
μοῖραν ποιεῖσθαι μηδαμῶς· ἡγεῖσθαι δὲ
βλέπειν μὲν αὐτοὺς πρὸς τὸν εὐσεβῆ βροτῶν,
βλέπειν δὲ πρὸς τοὺς δυςσεβεῖς, φυγὴν δέ του
μήπω γενέσθαι φωτὸς ἀνοσίου.

Tales cum omnes ad unum crederent esse deos, quamlibet rem jurejurando confirmaturis si cordi est, ut quanta maxima ipsis habeatur fides, *θεόν*[1]) vel *θεούς* invocant *μάρτυρας*[2]), sive *ξυνίστορας*[3]) qui mentientem punituri sint. Et quid multa? penes solos deos omnem jurisjurandi esse religionem et sanctitatem tuendam, etiamsi nulla alia exstarent indicia, tamen certum argumentum suppeditarent illa Jocastae verba, quibus adhortatur Oedipum ne Creonti, qui, ut ab omni crimine se defenderet vel se ipsum devoverat, parricidae notam inurat[4]):

ὦ πρὸς θεῶν πίστευσον, Οἰδίπους, τάδε,
μάλιστα μὲν τόνδ' ὅρκον αἰδεσθεὶς θεῶν.

Licet igitur Sophocles multis ornamentis illustraverit Furiarum numen easque solas ex omnibus deabus fatalibus *θεάς*[5]) sive *δαίμονας*[6]) appellaverit diserteque descripserit, qua iis ratione sacra sint facienda, tamen poëtam etiam has deorum, qui proprie sic vocantur, summo subjecisse arbitrio, eo minus negare licet, quod memorantur, ubi de *δυςσεβείᾳ* in deos inferos admissa agitur, „*Ἅιδου καὶ θεῶν Ἐριννύες*[7])“ quae alio loco[8]) appellantur „*θεῶν ποδώκεις βλάβαι,*“ ut quod *θεαί* sive

[1]) ib. vs. 462. 861. 1386.
[2]) Oed. Col. vs. 520.
[3]) Trach. vs. 1228.
[4]) Phil. vs. 1265.
[5]) Oed. R. vs. 627 et 628.
[6]) Oed. Col. vs. 60. vs. 101.
[7]) Ant. 1030.
[8]) ib. vs. 1058.

δαίμονες hae nominantur, non possit convertere conclusionem, quasi ubi *θεοί* memorentur, simul etiam Furiae intelligendae sint atque una cum ceteris diis res agant. Quae si fuisset Sophoclis opinio non debuit inducere *θεῶν* illas *Ἐρινύας*. Minime igitur cetera numina fatalia *θεῶν* res agentium ordini inserta sibi potuit fingere poëta. Qui quod vel maxime in Oedipo Coloneo Furiarum amplificavit numen, vulgarem id fecit secutus fabulam, secundum quam miser ille his numinibus tum animadvertendus tum in fidem recipiendus tradebatur.

Finis igitur huic de Furiis disputationi si jam imponendus est, cum de singulis numinibus, quorum munus in fatis distribuendis versari credebatur, deinceps quaesitum sit enucleatumque, nullam eorum esse neque propriam neque communem inter haec et deos potentiam, sed omnem vim fatalem e summo „*θεῶν*" sive „*δαιμόνων*" arbitrio aptum esse, non est mirandum, quod non ubique hi diserte significantur ut calamitatis aut prosperitatis auctores, praesertim cum etiam nostris temporibus haud inusitatus sit sermonis usus non modo, qui est vitae communis, sed etiam qualis adhibetur ad tragoediae sublimitatem, eum dico, secundum quem saepe inveniuntur voces quales sunt: „Schicksal, Verhängnifs" quibus personae gravitate exornatis vitae casus comparandi tribuantur salva summi dei auctoritate. Quare ne nostri dei sanctitas hoc tali sermonis usu offendatur cum nemo certe timeat, item poëtae antiquo eadem libertas vel maxime condonanda atque vindicanda erit.

Numinibus vero, quae dicuntur, fatalibus deos Sophocleos superiores esse cum probatum sit, quamvis certa videatur esse haec res, tamen in ea non acquiescemus.

Facile enim quod potest fieri, ut ratio, quae inter singulos deos intercedat requiratur enucleanda, praeponaturque quaestio, num omnes eadem auctoritate et potentia ornati fata gubernent, an Jovis hoc prae ceteris vel potius unius ejus sit munus, huic rei explicandae operam dare in animo est.

Ac primum animadvertatur velim, nihil Sophocli potius fuisse, quam ut proponeret talem Jovem, qui summa et perfecta omnium rerum et potentia et scientia nec minus justitia conspicuus esset. Ac praepotentem Jovis naturam vel ejusmodi voces illustrant: *ὁ μέγας Ὀλύμπιος*[1]), *μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεύς*[2]), *ἄναξ*[3]), *ὁ τῶν ἁπάντων Ζεὺς πατὴρ Ὀλύμπιος*[4]). Nam *ἄνακτος* nomine quod ornatur, etsi eodem etiam alii dii inveniuntur appellati, ut Neptunus[5]), Pluto[6]), Apollo[7]) atque etiam Tiresias[8]), secundum scholiastam „*ὡς ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων οὕτω τιμώμενος διὰ τὸ κράτος τῆς μαντικῆς*," tamen longe maximam Jovis *ἄνακτος* esse vim nonne diserte nos vel id docet, quod perhibetur *παγκρατὴς Κρόνου παῖς*[9]), *ὁ πάντα κραίνων βασιλεὺς Κρονίδας*[10]), *πανδαμάτωρ δαίμων*[11]), quod invocatur[12]):

---

1) El. vs. 202. 2) ib. vs. 170.

3) sic idem appellatur Oed. Col. vs. 1472. Trach. vs. 1067.

4) Trach. vs. 271.

5) Oed. Col. vs. 710.

6) Oed. Col. vs. 1543. El. vs. 177. Trach. vs. 1065.

7) Oed. T. vs. 80. 96. 279. El. vs. 632. Etiam Solem sic appellari invenio Oed. T. vs. 1392.

8) Oed. T. vs. 279. 11) Phil. vs. 1440.

9) Phil. vs. 671. 12) Oed. R. vs. 875. cf. El. vs. 170.

10) Trach. vs. 125.

ἀλλ' ὦ κρατύνων, εἴπερ ὄρθ' ἀκούεις
Ζεῦ, πάντ' ἀνάσσων

et [1]):

ἰώ πάνταρχε θεῶν.

Ceterum, quod equidem sciam, nemo deorum Sophocleorum praeter eum *πατέρος* nomine imploratur. Ac ne longus sim in explananda re facile perspicua, quod Sophocles chorum inducit haec praedicantem [2]):

τεάν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβασίᾳ κατάσχοι,
τὰν οὔθ' ὕπνος αἱρεῖ πόθ' ὁ παντογήρως
ἀκάματοι θεῶν οὐ
μῆνες [3])· *ἀγήρῳ δὲ χρόνῳ δυνάσιας*
κατέχεις Ὀλύμπου μαρμαρόεσσαν αἴγλαν,

somnum igitur *πανδαμάτορα* [4]), qui apud Homerum nihil se valere confitetur ad Jovem invitum domandum [5]), quod item Sophocles Jovis arbitrio subjecit, et *παγκρατὴν χρόνον* [6]), qui sit *εὐμαρὴς θεός* [7]), de quo Ajax [8]):

---

[1]) Oed. Col. vs. 1080. [2]) Ant. vs. 585—590.

[3]) Quod *θεῶν μῆνες* memorantur ubi Jovis celebratur potentia, nescio an Schneidewinio recte mirum sit visum recordanti *Διὸς μεγάλου ἐνιαυτούς* nec profecto ignoranti lusciniam vocari *Διὸς ἄγγελον* (El. 176) *ὅτι*, ut scholiastae verbis utar „*τὸ ἔαρ σημαίνει*," ut Jovem etiam vicissitudines anniversarias efficere videamus. Quare etsi non nego, hunc virum doctissimum interdum nimis indulgere vel emendandi vel conjiciendi studio, tamen quoniam *ἐτέων ἐνιαυτοί* saepe memorantur, non equidem adducor, ut etiam hoc loco licentiam hujus viri accusem commendantis lectionem „*οὔτ' ἐτέων ἀκ. μῆνες*" praesertim tam modeste emendationem suam proponentis, ut ne in textum quidem eam receperit.

[4]) Hom. Il. ω 5. Od. ι 373. [7]) El. vs. 173.

[5]) Il. ξ 243—248. [8]) vs. 627.

[6]) Oed. Col. 608.

ἅπανθ᾽ ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
φύει τ᾽ ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται

et chorus[1]):

πάνθ᾽ ὁ μέγας χρόνος μαραίνει,

quod edax ille rerum, ut ait Ovidius[2]), non valet ad Jovis potentiam consumendam, si poëta hunc talem Jovem vel *Μοίρᾳ* inservientem vel sine hujus ceterorumque deorum assensu non posse fata moderari creditum voluisset, quam temere et inepte ipse secum repugnasset, quis non intelligit? Audiamus igitur virgines Trachinias his verbis Dejaniram consolaturas[3]):

φαμὶ γὰρ οὐκ ἀποτρύειν ἐλπίδα τὰν ἀγαθὰν
χρῆναί σ᾽· ἀνάλγητα γὰρ οὐδ᾽
ὁ πάντα κραίνων βασιλεὺς
ἐπέβαλε θνατοῖς Κρονίδας.
ἀλλ᾽ ἐπὶ πῆμα καὶ χαρὰν
πᾶσι κυκλοῦσιν κ. τ. λ.

et abjiciamus omnem de summo fatorum gubernandorum arbitro dubitationem, quippe quem vel tum cum patriam petentes Atridae id agant, ut naves conscendant, chorus in Polyxena prorsus non respiciens ad Neptuni numen, his adeat precibus[4]):

Ζεὺς νόστον ἄγοι τὸν νικομάχαν
καὶ πανσανίαν τὸν Ἀτρειδᾶν.

Itaque etiam avertit mala ut *ἀλεξήτωρ*[5]) et *τρο-*

---

1) Aj. vs. 695.
2) Met. lib. XV. vs. 234.
3) Trach. vs. 121—126.
4) Welck. l. l. pag. 177.
5) Oed. Col. vs. 141. Qua in re etiamsi aliorum deorum versabatur munus ut Apollinis, Dianae, Minervae (Oed. T. vs. 163: „*τρισσοὶ ἀλεξίμοροι*") tamen primus Juppiter Ajaci videtur adeundus esse.

παῖος[1]), neque solum modum, sed etiam finem imponit miseriis πανσίλυπος et σωτήριος.

Numen vero, cujus potentia nullis circumscripta esset finibus, si facultas faciendi quaecunque ipsi placeret, non moderata fuisset justitiae ratione, facile fieri potuisset, ut magis horreretur quam coleretur. Quapropter non solum potentissimum, sed etiam justissimum Sophocles finxit Jovem. Qua fretus hujus dei justitia, qui probos homines omnibus ornet praemiis, Oedipus Thebanis gratiam habens haec precatur[2]):

ὦ Ζεῦ, διδοίης τοῖσι τοιούτοισιν εὖ

pariterque Polynices, si occisus sepulturae honore a sororibus affectus esset, his, ut εὖ διδοίη petiit a Jove[3]). Sed cui proborum hominum salus cordi esset, cum hic deus non posset facere, quin improbos omni poenarum genere persequeretur, gravissima quaeque supplicia a Jovis Sophocleï proficiscuntur auctoritate. Diis enim omnibus cum odio sint homines superbi et insolentes, tum Juppiter est, de quo praedicet chorus[4]):

μεγάλης γλώσσης κόμπους
ὑπερεχθαίρει,

quare Capaneum:

παλτῷ ῥιπτεῖ πυρὶ βαλβίδων
ἐπ' ἄκρων ἤδη
νίκην ὁρμῶντ' ἀλαλάξαι[5]).

Quod idem chorus haec canens[6]):

ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα στυφελίζων μέγας Ἄρης
δεξιόσειρος

[1]) fragm. 199.
[2]) Oed. Col. 641.
[3]) Oed. Col. vs. 1430.
[4]) Ant. vs. 125.
[5]) vs. 129—131.
[6]) vs. 136 et 137.

in pugna pugnanda Marti partes dat, provinciam, ut ita dicam, quae hujus propria est, ei assignat, non debilitatam significat Jovis potentiam, immo hunc in modum pergens[1]):

ἑπτὰ λοχαγοὶ γὰρ ἐφ' ἑπτὰ πύλαις
ταχθέντες ἴσοι πρὸς ἴσους ἔλιπον
Ζηνὶ τροπαίῳ πάγχαλκα τέλη

etiam ad moderandum proeliorum exitum vel prosperum vel infaustum valere docet Jovis numen, ut hoc invito nunquam quidquam Martem perficere posse inde liceat colligere. Idem Juppiter ut Ixion audaciae, qua Junonis amplexus non dubitarat appetere, meritas daret poenas, eum

κατ' ἄμπυκα δρομάδα δέσμιον ὡς ἔβαλεν[2]).

Pietatem servandam omnes quidem tueri deos vidimus, at Hercules ad Philoctetam et Neoptolemum sic locutus[3]):

τοῦτο δ' ἐννοεῖσθ', ὅταν
πορθῆτε γαῖαν, εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεοὺς

hoc ut toto pectore amplectantur praeceptum quod addit[4]):

ὡς τἄλλα πάντα δεύτερ' ἡγεῖται πατὴρ
Ζεύς,

Juppiter cernitur *εὐσεβείας* tuendae et vindicandae summus arbiter. Animi vero pietas, cum sit non solum quae debeatur diis, sed etiam quae spectetur in omnibus officiis praestandis, quae postulet ratio societatis propinquorum et cognatorum, quod arctissimum vinculum est societatis a diis inter homines constitutae, etiam verecundia, qua amplectendi sunt parentes et consanguinei, a Jovis deducitur auctoritate, qui sit *ξύναιμος*[5]) i. e. auctore scholiasta

[1]) vs. 138—141.
[2]) Phil. vs. 670.
[3]) Phil. vs. 1442.
[4]) vs. 1413 et 1414.
[5]) Ant. vs. 636.

„ἔφορος τῆς συγγενείας.“ Pietatem enim erga parentes positam esse in pietate erga Jovem quasi in firmo ac solido fundamento ut demonstrem, illum afferre placet locum quo chorus dicit se invenisse Electram

μοίρᾳ μὲν οὐκ ἐν ἐσθλᾷ
βεβῶσαν, ἃ δὲ μέγιστ' ἔβλαστε νόμιμα, τῶνδε φερομέναν
ἄριστα τᾷ Ζηνὸς εὐσεβείᾳ [1]),

pietatem enim, qua patrem colebat virgo, illis νομίμοις significari nemo erit, qui neget. Tertium pietatis genus, quod pertinet ad legitimos civitatis magistratus colendos, idem numen sibi sumit curandum. Etenim ab Antigona, neglecto Creontis edicto Δίκης βάθρον vehementer percussum esse quod putat chorus, cum hoc loco Δίκης numen perhibeatur ea valens auctoritate, ut animadvertat in eorum ferociam, qui non obedienter faciant ejus imperata, qui ad civitatis gubernacula sedeat, tamen quoniam penes reges est „τὸ θεῖον Διὸς σκῆπτρον [2])“ siquidem non solum regium munus, sed omnino quivis civitatis legitimus magistratus ad Jovis auctoritatem revocanda erunt, efficitur, ut Δίκη illa nullo fungatur libero munere, sed Juppiter tam mundi perpetuum ordinem omniumque rerum creatarum rationem servet, quam in singularibus civitatibus nolit esse ἀναρχίαν, quod ne fiat Δίκην habeat ministram impedituram. Quartum pietatis officium id habendum est, quod praestatur supplicibus. Quod idem Juppiter ἱκέσιος [3]) sanxit. Propter pietatem vero, quae alicui

[1]) El. vs. 1074—1076.

[2]) Phil. vs. 140. Aquilae sunt Jovis ministrae Ant. vs. 994. cf. fragm. 815: ὁ σκηπτοβάμων αἰετὸς κύων Διός.

[3]) Phil. vs. 479.

debeatur neglectam, quod *ἀραὶ* a devoventibus implorantur, *Ζεὺς ἀραῖος*[1]) tales audit preces. His igitur ex caussis, etiamsi non essent, quibus niteremur, alia argumenta, tamen colligere liceret, *μέγαν* illum *θέον*, qui insit in sanctissimis illis legibus, quae ad omne pietatis genus colendum spectant, neminem esse nisi ipsum Jovem. At quod jam supra[2]) significatum est, cum hae leges sint eaedem atque illae, quae alio loco appellantur „*Ζηνὸς ἀρχαῖοι νόμοι*“ omnis sublata est dubitatio, ut pro certo sit habendum, *Θέμιν*, *Δίκην*, *Ἐρινύας* Jovi non additas esse, nisi ad notionem ejus justitiae proborum hominum modestiam foventis adjuvantisque, frangentis et prosternentis improborum audaciam clarius et disertius exprimendam, pariter ac si *Αἰδὼς* ejus *θρόνων σύνθακος* esse perhibetur, ut, quae omnibus diis tribuitur placabilitas et clementia, potissimum Jovis esse significaretur, veniam dantis ei, qui dolore ex peccatorum recordatione concepto suo tempore ad meliorem frugem se recipit. Tum fulminum ac tonitruum uni Jovi[3]) vindicatum arbitrium[4]) non solum summam ejus potentiam illustrat, sed etiam vim poenas ab impiis exigentem significat, nam chorus, ne impunitum scelus suum ferrent Clytaemnestra et Aegisthus cum jam coepisset timere, tamen ut omnem in divina justitia collocandam fiduciam abjiceret tantum

---

[1]) Phil. vs. 1156. cf. schol.: *ὥσπερ δὲ ἱκεσίου λέγουσι τοῦ τοὺς ἱκέτας ἐποπτεύοντος, οὕτως ἀραίου τοῦ τοὺς ἀρωμένους ἐπισκοποῦντος.*

[2]) pag. 66.

[3]) Quod Apollo dicitur irruere in Laji interfectorem „*ἔνοπλος πυρὶ καὶ στεροπαῖς*“ haec habet a Jove patre petita.

[4]) Oed. R. vs. 195 et 196. Oed. Col. vs. 1452. 1453. 1455. 1499 et 1500. 1640 et 1641. Phil. vs. 1171.

aberat, ut per *Διὸς ἀστραπὰν* eam suam affirmaret sententiam, qua utrique imminere supplicium arbitrabatur[1]), licet antea paene desperans exclamasset[2]):

ποῦ ποτε κεραυνοὶ Διός;

Praeterea etiam hoc animadvertendum est, quibus eorum, quae vel dicunt vel promittunt, ut quam certissimam faciant fidem cordi sit, eos potissimum Jovem invocare testem[3]). Quapropter juratur quidem per omnes deos, sed longe gravissimum et sanctissimum jusjurandum datur per *Δία ὅρκιον*[4]), quippe cujus minister sit *Ὅρκος*[5]). Itaque Hercules filio, ut se comburat, imperaturus „*ὄμνυ,*" inquit[6]), „*Διός νυν τοῦ με φύσαντος κάρα*" et Neoptolemus jam non se id agere affirmaturus, ut Philoctetae verba det pro re

ἀπώμοσ᾽ ἁγνὸν Ζηνὸς ὑψίστου σέβας[7])

et Dejanira sic loquitur ad Licham[8]):

μή, πρός σε τοῦ κατ᾽ ἄκρον Οἰταῖον νάπος
Διὸς καταστράπτοντος, ἐκκλέψῃς λόγον.

Nullo vero modo cum fieri potuisset, ut testis invocaretur Juppiter, si ejus omnium rerum scientia in dubium venisset, jam videamus de hac summi numinis virtute. Qui Jovem invocent testem, non hos ignorare eum nihil fugere, vel haec docent chori verba[9]):

ἴστω Ζεὺς ὁ πάνθ᾽ ὁρῶν ἀεί

eandemque ob caussam jusjurandum per *ἐναλλαγήν* appellatur[10]):

---

1) El. vs. 1046.
2) ib. vs. 810.
3) Ant. vs. 180. Trach. vs. 396.
4) Phil. vs. 1296.
5) Oed. Col. vs. 1748.
6) Trach. vs. 1165. cf. vs. 1168.
7) Phil. vs. 1261.
8) Trach. vs. 433 et 434.
9) Ant. l. modo l.
10) l. l.

ὁ πάντ' αἴων Διὸς Ὅρκος.

Ad praedicandam eandem omnium rerum scientiae vim Juppiter cognomen habet *παντόπτου*[1]) memoraturque *ὁ αἰὲν ὁρῶν κύκλος Μορίου Διός*[2]) ut dei *ἐφορῶντος πάντα*[3]).

Ex hac Jovis omnium rerum scientia sequitur, ut is unus oraculis, quippe quae res futuras aperiant, summus praesit arbiter. Quod revera ita sese habere ut demonstrem, primum animadverto, oraculum Dodonaeum expressis verbis ejus subjici auctoritati, si quidem hunc locum affert Welcker[4]) ex Ulixe *ἀκανθοπλῆγι·*

Δωδῶνι ναίων Ζεὺς ὁμέστιος βροτῶν.

Jovis memoratur etiam antiquissimum oraculum Olympiacum[5]), de quo Pindarus[6]):

ἵνα μάντιες ἄνδρες
ἐμπύροις τεκμαιρόμενοι παραπειρῶνται Διὸς ἀργικεραύνου.

Quare illa *πρὸς θεῶν εἱμαρμένα,* quae affert Dejanira, nimirum sunt ea, quae Jovis oraculum Dodonaeum praedixerat, nihil enim nisi haec ipsa *δέλτῳ,* quam Hercules discedens reliquerat, continebantur, ut Dejanira ea qua diximus voce Jovis oraculi responsa appellans, locutione nimis ampla nec satis definita uti recte perhibeatur. Quae cum non inusitata sit locutio, non est, quod mireris illam

---

1) Oed. Col. 1081.

2) Oed. Col. 703 et 704.

3) El. vs. 170. Etiam *Ἥλιον* utpote salva Jovis omnium rerum scientia vocari „*θεῶν τὸν πάντα λεύσσοντα*" (Oed. Col. vs. 866. cf. Oed. R. vs. 639) et „*κρατιστεύοντα κατ' ὄμμα*" (Trach. vs. 101. cf. El. vs. 810 et 811) conveniens fuit ad hujus dei naturam.

4) l. l. pag. 245.

5) Oed. T. vs. 871.

6) Ol. VIII. vs. 3 et 4.

latius aliquid dicere. Deinde vero, cum legamus in Oedipo Rege[1]):

ἀλλ᾽ ὁ μὲν οὖν Ζεὺς ὅ τ᾽ Ἀπόλλων ξυνετοὶ καὶ τὰ βροτῶν
εἰδότες· κ. τ. λ.

quod his etiam Apollini vaticinandi facultas tribuitur[2]), hunc oraculorum edendorum munus et potestatem omnem habere a Jove patre concessam et mandatam facile demonstratur. Oedipus enim, quae ad sua fata spectabant oracula, etsi ab Apolline habebat omnia percepta[3]), tamen ubi inimicitias quas Athenienses aliquando cum Thebanis suscepturi essent, exposuit, quo majorem eorum, quae praedicaverat, fidem faceret, haec addit[4]):

εἰ Ζεὺς ἔτι Ζεὺς, χὠ Διὸς Φοῖβος σαφής.

Tum Phoebus quidem praedixerat, fore ut Thebani Oedipum et vivum et mortuum ipsorum salutis caussa requirerent[5]), tamen postquam miser ille Creonti aperuit calamitates Thebanorum civitati jamjam imminentes, sic pergit[6]):

ἆρ᾽ οὐκ ἄμεινον ἢ σὺ τὰν Θήβαις φρονῶ;
πολλῷ γ᾽, ὅσῳπερ καὶ σαφέστερον κλύω,
Φοίβου τε κ᾽ αὐτοῦ Ζηνός, ὃς κείνου πατήρ.

Quibus locis quod manifesto ei rei multum ponderis tribuitur, quod Juppiter pater est Apollinis (nam priore

---

1) vs. 485 et 486.

2) Etiam praeter oraculum Delphicum alterum Apollinis attingit chorus in Oedipo Rege (vs. 871) quod Abis in urbe Phocensi fuit.

3) Oed. Col. vs. 86. sqq. cf. vs. 664 sqq.

4) Oed. Col. vs. 622.

5) ib. vs. 409 et 410.

6) ib. vs. 788—790.

loco verba „ὁ Διὸς Φοῖβος“ in eadem posita sunt sententia) Jovis praepotentem vim indicari jam vidit scholiasta haec annotans: „δοκεῖ γὰρ ὁ Ἀπόλλων παρὰ Διὸς λαμβάνειν τοὺς χρησμοὺς, ὡς καὶ ἐν Ἰφικλείᾳ φησί, καὶ Αἰσχύλος ἐν Ἱερείαις· στέλλειν ὅπως τάχιστα· ταῦτα γὰρ πατὴρ Ζεὺς ἐγκαθιεῖ Λοξίᾳ.

Quapropter vox ab oraculo Delphico edita appellatur: „Διὸς ἁδυεπὴς φάτις [1]),“ ubi iterum recte scholiasta: „ὁ . . . Ἀπόλλων ὑποφήτης δοκεῖ εἶναι τοῦ πατρὸς καὶ παρ' ἐκείνου λαμβάνειν τὰς μαντείας, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐκφέρειν καὶ Ὅμηρος [2])

Διὸς ἄγγελος ὄσσα δεδήει.

Ceterum Aeschyleus quoque Apollo est „Διὸς προφήτης πατρός [3])“ et apud Homerum [4]) Apollo inducitur haec praedicans:

χρήσω δ' ἀνθρώποισι Διὸς νημερτέα βουλήν.

Atque eum oraculorum edendorum munere fungi ut ministrum Jovis, quae ab hoc constituta sunt, fata aperientem, intelligitur etiam ex his, quae Lajo oraculum Delphicum consulenti responsa sunt: filium procreatum patri perniciosum fore,

ὣς γὰρ ἔνευσεν
Ζεὺς Κρονίδης.

Et profecto nisi Apollo vates Jovi patri subornatus fuisset, quomodo potuit chorus respiciens ad oracula, quae ille ederat, contempta ab Jocasta et Oedipo hasce ad Jovem facere preces [5]):

---

[1]) Oed. R. vs. 151. [2]) Il. β. vs. 94 et 95.
[3]) Eum. vs. 19. cf. Virg. Aen. lib. III. vs. 251.
[4]) hym. in Ap. Del. vs. 132. [5]) Oed. R. vs. 876 et 877.

μὴ λάθοι (sc. istorum temeritas)
σὲ τάν τε σὰν ἀθανάταν αἰὲν ἀρχάν.

Clytaemnestrae, quod eos, qui Jove nati sint, omnium rerum scientia valere consentaneum videtur esse[1]), nonne ipsius patris summa et perfecta debuit esse scientia? Sed ut gravissimum argumentum afferam postremum, invenitur locus auctore Welckero[2]) Tereo, quae vocatur, fabulae vindicandus, ubi legimus:

οὐκ ἔστιν
πλὴν Διὸς οὐδεὶς τῶν μελλόντων
ταμίας· ὅτι χρὴ τετελέσθαι.

Pro his igitur talibus argumentis equidem non dubito, quin omnia oracula Sophoclea revocanda sint ad auctoritatem Jovis ut sapientis humanarum rerum rectoris et moderatoris.

Quam modo adumbravimus praepotentem Jovis vim, invenimus eandem per septem, quae supersunt, tragoedias Sophocleas ad eorum quae aguntur exitum aut secundum aut adversum temperandum pertinentem. Omnes enim Labdacidarum calamitates Jove auctore incidisse, vel oraculum illud, quod modo attigimus, ab Apollini Lajo de liberorum orbitate consulenti editum docet. Et immisit revera ille deus mala quae hoc oraculum neglecturo significata erant futura. Quaerentem enim inducit Sophocles Antigonam ex Ismena sorore[3]):

ἆρ᾽ οἶσθ᾽, ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ᾽ Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

Quare Oedipus ubi ex iis, quae de loco, quo Lajus

[1]) El. vs. 646.
[2]) l. l. pag. 383.
[3]) Ant. vs. 2 et 3.

occisus esset et de tempore caedis perpetratae Jocasta retulerat, se ipsum esse parricidam suspicari coepit, exclamat[1]:

ὦ Ζεῦ, τί μου δρᾶσαι βεβούλευσαι πέρι;

Ac ne quis dicat, Sophoclem qui fecerit occaecatum Oedipum haec loquentem[2]:

Ἀπόλλων τάδ' ἦν, Ἀπόλλων φίλοι
ὁ κακὰ κακὰ τελῶν, ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα

ipsum secum repugnare. Consentaneum enim fuit, hunc deum illo loco memorari, quippe cujus oraculum Laji interfectorem, quicunque esset, punitum voluisset esse, sed ipsum hoc oraculum Jovis niti auctoritate demonstravimus. Fretus vero iis, quae jusserat oraculum Delphicum, cum Oedipus suavem aerumnosae vitae exitum habiturus Eumenidum lucum peteret, quoniam illius oraculi fidem maxima ex parte ad Jovis voluntatem revocari duobus locis supra[3] allatis explicavimus, ne in hac quidem fabula Jovis potentia desiderabitur. Quid? nonne Oedipo

ἢ σεισμὸς, ἢ βροντή τις ἢ Διὸς σέλας[4])

promissa erant, ex quibus, ubi primum inciderint, finem miseriarum suarum jam adesse colligeret. Quare idem[5]:

Διὸς πτερωτὸς, inquit, *ἥδε μ' αὐτίκ' ἄξεται*
βροντὴ προς Ἅιδην.

Nec quod idem, Oedipum ex Labdacidarum gente oriundum esse, postquam audivit, exclamat „*ὦ Ζεῦ*“ nullius est momenti, sed indicat, chorum hujus gentis fata Jovi tribuere constituta. Illi igitur Coloniates ut Thesei manus ad repetendas Oedipi filias a Creonte vi raptas cum

[1]) Oed. T. vs. 711.
[2]) ib. vs. 1305.
[3]) pag. 83.
[4]) Oed. Col. vs. 95.
[5]) ib. vs. 452 et 453. cf. ib. vs. 1460.

Thebanis certamen inierunt, qua erigebantur victoriae spem in Jove habebant collocatam[1]), quare ad hunc deum „θεῶν πανταρχέτην, παντόπτην" se convertunt, ut justam impertiat victoriam orantes[2]), tum demum ad Minervam, Apollinem, Dianam faciunt preces, qui sint τρεῖς ἀλεξίμοροι, ut hoc suo averruncandi munere fungentes adsint parati ac prompti ad juvandum.

Impios vero filios cum devoveret pater, quae iis imprecatus erat, ut eventum haberent, Jovi ἀραίῳ cordi esse et debuit et fuit, de quo Oedipum cogitare puto dicentem τὸν δαίμονα Polynicem intuiturum esse ultorem[3]). Hic enim deus Argivorum exercitum fugans etiam auctor fuit tristis exitus filiorum Oedipi, ut perspicuum sit, Tartarum, Eumenides, Martem, quos invocaverat pater ad imprecationem suam ad justum eventum perducendum[4]), nihil per se valuisse, sed Jovi inservientes putandos esse. Etiam Antigona cum omnem Labdacidarum, tum suam ipsius et sororis iniquam sortem a Jove immissam esse quantopere persuasum habuerit jam supra significavimus. Atque chorus in θεούς conferens hujus interitum, de quo potissimum deorum cogitandum sit ipse docet, cum Jovis celebret potentiam, quam qui ferociter negligat, eum non manere „ἐκτὸς ἄτας." Sed haec de Labdacidis. Jam videamus de Hercule, quem Jovis filium totius miseriae suae originem ab hoc deo deducentem quin induceret Sophocles profecto non potuit facere. Is igitur fuit, qui Iphiti caedem per insidias perpetratam ulturus ne ipsum filium quidem Omphalae servum tradere dubitavit[5]). Servitutis

[1]) ib. vs. 1074.

[2]) ib. vs. 1085—1087.

[3]) ib. rs. 1365 sqq.

[4]) Oed. Col. vs. 1384 sqq.

[5]) Trach. vs. 271 sqq. cf. ib. vs. 248.

perpessus turpitudinem Oechaliae captae gratiam relaturus patri sacra facit[1]). Qui Herculeorum laborum quando foret ut finis constitueretur praedixerat, quod oraculum revera ratum factum esse intelligit chorus, Nessi dolo fortissimum virum perdi videns[2]). Ac quod Hercules *ἄτην* suam, cujus nulla exstaret medela, a Jove conflatam esse dicit, consentit cum patre filius, qui fabula exeunte respiciens ad „*πήματα καὶ καινοπαθῆ*" et Herculis et Dejanirae exclamet[3]):

κοὐδὲν τούτων, ὅ τι μὴ Ζεύς,

ut *μοῖραν* illam, quam chorus dicit „*προφαίνειν δολίαν καὶ μεγάλαν ἄταν*[4])" ex Jovis voluntate videamus irruisse. Ceterum etiam *Ζεὺς ἀγώνιος* Dejanirae quidem sententia certamini, quod Hercules cum Acheloo inierat, finem imposuit[5]), et uxor integrum ac salvum redire conjugem ut primum audivit, laeta spe erecta

ὦ Ζεῦ inquit[6]), *τὸν Οἴτης ἄτομον ὃς λειμῶν' ἔχεις*
ἔδωκας ἡμῖν ἀλλὰ σὺν χρόνῳ χαράν.

Quapropter licet chorus grato ac lubentissimo animo Apollinem celebret et Dianam, quorum singulare munus esse putaret, malorum, quae Herculi imminerent, depellendorum, quoniam illa numina hoc munus non ad suum arbitrium gerere poterant, nullo modo imminuitur ea, quam modo Jovi vindicavimus auctoritas. Quae item ubique spectatur in Philocteta. Miserrimus enim Poeantis

---

[1]) ib. vs. 234 et 235.

[2]) ib. vs. 812 sqq. cf. vs. 1152.

[3]) ib. vs. 1258. cf. vs. 1009 et 1010.

[4]) vs. 840.

[5]) Trach. vs. 25.

[6]) ib. vs. 197 et 198.

ille filius Ulixem vim sibi illaturum esse videns postquam imploravit „Λημνίαν χθόνα καὶ τὸ παγκρατὲς σέλας Ἡφαιστότευκτον[1]),“ is respondet[2]):

Ζεὺς ἔσθ', ἵν' εἰδῇς, Ζεύς, ὁ τῆςδε γῆς κρατῶν,
Ζεύς, ᾧ δέδοκται ταῦθ'. (Philoctetae intelligit reditum).

Philoctetam igitur ad exercitum redire cum ipse Juppiter juberet, quoniam omnes Ulixis artes ad irritum ceciderant, fieri non potuit quin Hercules de coelo demitteretur patris consilii interpres. Quare quod Neoptolemus deum dicit Philoctetam arcessitum velle, quis revera sit ille *θεός* jam non ambiguum est, nec Heleni vaticinium ad quem referendum sit auctorem, non intelligitur.

Ad Electram vero procedat quaestio cum oporteat, siquidem omnia quae colenda sunt jura et officia familiaria a Jove Sophocleo proficiscuntur, quae Clytaemnestra et Aegisthus perverterant, cujus imprimis dei auspiciis Orestes ulciscendi consilium ratum fecerit facile colligitur. Electrae enim pietas orta ex *εὐσεβείᾳ* erga Jovem, cum tandem aliquando praemiis ornanda esset, cujus praeter illum deum fuit favendo inceptis Orestis efficere, ut post longam et acerbam miseriam virgini omni pietatis genere excellenti laetissimus illucesceret dies? Quam querentem et lamentantem, quod tam iniqua uteretur fortunae conditione, ad Jovis justitiam remisit chorus, qui suo tempore meritas poenas repetiturus esset[3]), et ipsa Electra „velim“ inquit „matri et Aegistho mihi inimicissimis

θεὸς ὁ μέγας Ὀλύμπιος,
ποίνιμα πάθεα παθεῖν πόροι[4]).“

---

[1]) Phil. 968 et 969.
[2]) ib. vs. 971 et 972.
[3]) vs. 168 sqq.
[4]) vs. 203 et 204.

Quae cum ita sese habeant, quod *Δίκη* justam secum ferens victoriam appropinquare [1]), et *πολύπους πολύχειρ χαλκόπους Ἐρινύς* [2]) jam imminere dicitur, etiam clarius ante omnium oculos proponitur supplicii de Aegistho et Clytaemnestra Jove favente sumendi cum justitia, tum gravitas eandemque sententiam illustrat chorus per *Διὸς ἀστραπάν* et *οὐρανίαν Θέμιν* affirmans, scelestos Agamemnonis interfectores poenas daturos esse. Praeter Furias et Diras [3]) implorari etiam domum Plutonis et Proserpinae atque *χθόνιον Ἑρμῆν* [4]) nihil habet quod mireris, nam et illorum numinum proprium est tueri „*τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας* [5]),“ et *Ἑρμῆς πομπαῖος* [6]), sive *ὁ πομπός* [7]) mortuos ad Orcum deducit, ut injuste occisos vindicare non inepte neque credatur, neque dicatur, quod idem cadit in Plutonem et Proserpinam. Sed nisi Juppiter Sophocleus auctor fieret, nullum esse eorum munus etiam atque etiam animadvertimus. At Orestem mortuum esse cum audisset chorus, ne omnis supplicii sumendi abjicienda sit spes timens, Jovis quidem requirit fulmen, sed addit [8])

ἢ που φαέθων
Ἅλιος;

hisne quadam ex parte etiam huic deo tribuitur a poëta Agamemnonis caedes ulciscenda? Minime! si quid equidem video. Neque enim talem *Ἡλίου* vim usquam expressit Sophocles qualis est Homerici illius, qui vel ipsi Jovi,

---

[1]) vs. 467 sqq.
[2]) vs. 477 sqq.
[3]) vs. 111 et 112.
[4]) vs. 110 et 111.
[5]) vs. 114.
[6]) Aj. vs. 813.
[7]) Oed. Col. vs. 1533.
[8]) vs. 811 et 812.

si boum ab Ulixis comitibus raptorum non poenas repeteret, haec minitetur[1]):

εἰ δέ μοι οὐ τίσουσι βοῶν ἐπιεικέ' ἀμοιβὴν,
δύσομαι εἰς Ἀίδαο καὶ ἐν νεκύεσσι φαείνω,

nec Juppiter Sophocleus „*ὅς ἐφορᾷ πάντα καὶ κραίνει.*" *Ἡλίου* ope nititur, quod numen, nisi fallor, ex Sophoclis sententia Jovis omniscientiae notioni quam clarissime exprimendae inserviit. Denique quod Apollo Orestem docuisse dicitur, quomodo ulciscendi opus aptissime aggrederetur, quae inter Apollinem vaticinantem et Jovem patrem nobis intercedere videatur ratio, quoniam pro iis, quae supra exposuimus, satis patet, hic non opus est copiosa disputatione. Nec repugnat secum poëta chorum faciens jactantem, Orestem Mercurio usum esse duce, fuit enim Mercurius *δόλον σκότῳ κρύψας*[2]), ut potissimum ad dolum ad opus adhibitum animus advertatur.

Postremum in Ajace chorus se timere dicit ne herum suum

πληγὴ Διὸς ἢ ζαμενὴς
λόγος ἐκ Δαναῶν κακόθρους ἐπιβῇ[3]).

Quare licet paullo post Salaminiis inter Dianam et *Ἐνυάλιον* haesitantibus, qui verus sit Ajacis miseriae auctor non satis videatur perspicuum esse, tamen *θείαν* ejus esse *νόσον,* cum pro certo haberent,

ἀλλ' inquiunt[4]) *ἀπερύκοι*
καὶ Ζεὺς κακὰν καὶ Φοῖβος Ἀργείων φάτιν,

quibus verbis Jovis summi dei ut *Σωτῆρος* implorari fidem, Apollinis nisi ut *ἀλεξιτηρίου* non peti opem recte animad-

1) Od. μ. 382 et 383.
2) vs. 137 et 138.
3) vs. 185 et 186.

vertit Schneidewinus. Salaminii vero Ajacem ad sanam mentem rediisse opinati, quod Martem praedicant „*λύσαι αἰνὸν ἄχος ἀπ᾽ ὀμμάτων*[1]) nescio an miri aliquid videatur habere. Verumtamen haec velim considerentur: Martem non solum eorum, quae ex bello proficiscuntur, sed omnium fere malorum creditum esse auctorem, quare etiam morbos pestiferos ut pestilentiam, qua Thebani vexabantur, ab eo immitti vulgaris fuit opinio[2]), ut, quia auctoris nomine significabatur ipsum malum, quod conflasse putabatur, „*Ἄρης*“ (sunt Musgravii verba ad Aj. vs. 706) „non proprie appellaretur, sed esset *λοιμός*, qui similis Martis eoque non minus perniciosus, quamquam nullis armis instructus.“ Totus autem locus optime sic explicatur a Lobeckio: „significatur hoc nomine (*Ἄρην* intelligit) animi perturbatio summa ... quia, ut Plutarchus ait Amator. T. II. p. 757 B. „*τὸ θυμοειδὲς ἐν ἡμῖν Ἄρην κεκλῆσθαι νομίζουσι,*“ sive, ut Theodoretus Therap. III. 772. T. IV. ed. Schulz. „*Ἄρεα τὸν θυμὸν ὀνομάζουσι.*“ Hanc mentis oculorumque caliginem Mars, qui obfuderat, discussit rursus[3]).“ Sed Mars, neque qui mala immittere ducitur, omnium rerum potens est, nam in Oedipo Rege chorus, quam hic deus comparaverit stragem ubi depinxit,

„*τὸν*“ inquit[4]) „*ὦ πυρφόρων ἀστραπᾶν κράτη νέμων,*
ὦ Ζεῦ πάτερ, ὑπὸ σῷ φθίσον κεραυνῷ,

neque qui malis finem imponit, sine Jove valet, ad hunc enim Salaminii,

---

[1]) vs. 687. [2]) Oed. R. vs. 185 sqq.

[3]) Idem vir doctus affert hos locos: „Sol almus diem promit et celat“ (Hor. C. Sec. 10) et „*Ἄρης ἔλυσεν ἐπίπονον ἡμέραν*“ (Trach. vs. 644 et 645).

[4]) vs. 195 et 196.

ὅτ' Αἴας λαθίπονος πάλιν
θεῶν δ' αὖ πάνθυτα θέσμι' ἐξήνυσ' εὐνομίᾳ σέβων
μεγίστᾳ [1]),

haec faciunt verba [2]):

νῦν ὦ Ζεῦ, πάρα εὐάμερον πελάσαι φάος
θοᾶν ὠκυάλων νεῶν.

Pergamus igitur ad alium locum. Gladio se transfixurus Ajax et Mercurium adit „εὖ κομισθῆναι" cupiens [3]) et a Furiis, ut totum Graecorum exercitum pessumdarent petit, quibus haec addit [4]):

σὺ δ', ὦ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν,
Ἥλιε, πατρῴαν τὴν ἐμὴν ὅταν χθόνα
ἴδῃς, ἐπισχὼν χρυσόνωτον ἡνίαν
ἄγγειλον ἄτας τὰς ἐμὰς μόρον τ' ἐμὸν
γέροντι πατρὶ τῇ τε δυστήνῳ τροφῷ,

in quibus quanta insit verborum translatio neque quemquam fugiet, nec, si non inesset, magnam celebrari Ἡλίου auctoritatem, quippe qui nuntii munus subeat, existimandum esset. Tum Furias ulciscentes injurias provinciam, ut ita dicam, administrant, a Jove iis assignatam, et penes Ἑρμῆν χθόνιον mortuos ad inferorum sedes, Jove certe non invito, deducendos esse scimus. Accedit ad haec, quod quae in primis Ajaci cordi sunt, ne quis inimicorum corpus suum canibus vel avibus projiciat dilaniandum, sed ut primus Teucrus se inveniat mortuum, haec ut sibi contingant a Jove petit [5]). Qui de caede sua non orat Jovem quemadmodum Ἥλιον, ut ipse nuntii partes agens certiorem faciat Teucrum, sed

1) vs. 692 — 694.
2) vs. 690 et 691.
3) vs. 813.
4) vs. 826 — 830.
5) vs. 805. sqq.

„πέμψον“ inquit [1]) „τίν' ἡμὶν ἄγγελον κακὴν φάτιν Τεύκρῳ φέροντα.“

Fabula exeunte item Teucrus Jovem agnoscit summum deum, nam Atridis, qui Ajacem sepeliri vetuerant, haec imprecatur [2]):

τοιγάρ σφ' Ὀλύμπου τοῦδ' ὁ πρεσβεύων πατὴρ
μνήμων τ' Ἐρινὺς καὶ τελεσφόρος Δίκη
κακοὺς κακῶς φθείρειαν,

ubi *Ἐρινὺς* et *Δίκη* adduntur item ad illustrandam Jovis vim, quae si mortuo justa injustis ex caussis non solverentur, instarent graves aliquando poenas repetiturae. Omnia igitur quae modo de summa Jovis potentia etiam in hac tragoedia conspicua, exposuimus, tam solida nobis suppeditant argumenta, ut ne id quidem difficultates afferre putemus, quod nuntius diserte secundum vatis sententiam ad Minervam Ajacis insaniam, fontem ceterorum malorum, refert. Nam fortasse Sophocli Minerva in Ajacem inducta nihil fuit, nisi *προσωποποιΐα φρονήσεως,* quae sit secundum eundem poëtam „*θεὸς μέγας* [3]),“ ut similiter atque in Electra Jovis minister inventus est Apollo, sic in Ajace inserviat Minerva Jovis superbum et insolentem animum frangentis consiliis.

Quae usque ad hunc disputationis nostrae locum disseruimus, eorum haec fere summa est atque finis: spectari per septem tragoedias Sophocleas summam Jovis vim, cujus et numina fatalia et ceteri dii ministri sint. Quam Jovis praepotentem naturam quod magnopere quemadmodum vidimus, amplificavit Sophocles nescio an probanda videatur Wissowae sententia, qui hunc poëtam unum tantum deum exsistere credidisse opinatur, sic tamen, ut

---

[1]) vs. 807 et 808. [2]) vs. 1361—1363. [3]) fragm. 750.

non diminuta varii deorum concilii, quod sibi finxerat vulgaris opinio, religione, ceteros deos majorum cultu ac veneratione sancitos adhibuerit ad poëticam tragoediarum artem exornandam et ad unius dei, quem suspicatus sit, majestatem sublimitatemque celebrandam. In locum illum:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεός,
ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακράν,
πόντου τε χαροπὸν οἶδμα κἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανώμενοι
ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχήν,
θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων ἢ χαλκέους
ἢ χρυσοτεύκτους ἢ 'λεφαντίνους τύπους·
θυσίας τε τούτοις καὶ καλὰς πανηγύρεις
νέμοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν,

quem falso Clemens Alexandrinus Sophocli tribuit, etsi pariter atque in ceteros ejusdem generis cadit Boeckhii illud [1]): „fictis . . . fragmentis Christianae ecclesiae patres, alius ab alio transmissa accipientes, usi posthac sunt, quo novas religiones Graecis persuaderent facilius atque eos traducerent ad suae fidei confessionem," tamen quod ejusmodi sententia Sophocli vindicata sit, non inepte colligit Wissowa, hunc poëtam prae ceteris dignum visum esse, qui purissimam et integerrimam religionem animo concepisse crederetur. Sed utut haec se habent, hoc certe etiam atque etiam premendum est argumentum, de praepotentis unius Jovis natura omnem expulsam esse dubitationem eamque sic illustratam esse a Sophocle, praesertim numinum fatalium muneribus, quae ejus auctoritate nitantur, ut ultricem illa quidem, sed non injustam se exhibeat. Quod cum verum sit, quae inter hanc poten-

[1]) de graec. trag. princ. pag. 146.

tissimi numinis vim et hominis liberam voluntatem intercedat ratio, jam a priori conjectura possumus assequi pro iis quae exposita sunt sic concludentes: nulla fatali necessitate ad strictam teneri hominis libertatem, qua si consulto aut errore abuteretur ad prava facinora perpetranda calamitatis impetum in eum irruere. Haec vero, si sola esset Sophocleae artis sententia, ut per ejus tragoedias valeat vis divina justitiae humanae notione metienda, quae gravissima quaeque peccanti acerbissima mala immittat, parum in illa poëticae sublimitatis inesse recte contenderetur. Alia igitur erit divinae qualis in tragoedia spectatur, justitiae ratio, alia ejus, quae in humanis legibus posita est, nec semper malorum, in quae incidunt personae tragicae acerbitas in eum modum respondeat oportebit peccatorum atrocitati, ut humanae leges in nequissimum quemque gravissime solent animadvertere. Quare si quis, ubi in tragoedia saevissimas in miseros irruere vidit calamitates, hos summopere abusos esse libera voluntate opinetur, quam falso is colligat jam apparet, cum id tantum postulet artis tragicae ratio, ut cernatur malorum fons et origo non temeraria illa quidem, sed e naturali quadam lege apta. Quod praeceptum etiam Sophoclem secutum esse quo magis probetur, qualemque ineat rationem vis illa, quae significata est, summi numinis, cum eorum qui agentes inducuntur, libero arbitrio, ut accuratius explanetur, ad singulas tragoedias Sophocles perlustrandas convertendus est animus. Hanc vero quaestionis nostrae alteram partem arcto vinculo cum hac priore conjunctam, quod typis imprimendam in posterum coacti sumus differe dolemus acerbeque ferimus.

VITA.

Natus sum ego Carolus Ludovicus Augustus Hagemann, Angermundensis a. d. V. Cal. Febr. anno MDCCCXXVIII patre Augusto Ferdinando, matre Henrica e gente Sparr. Profiteor doctrinam Lutherianam. In iis cum versarer rei familiaris angustiis, ut periculum esset, ne impetus ille, quo ferebar ad literarum studia sequenda, videretur reprimendus esse, tum patre puero mihi duodecim annorum erepto omnem jam abjecturus eram spem ingenii liberali doctrina excolendi. Verumtamen patruus meus, quantum in eo erat, patris vice functurus egregiae benignitatis constituit exemplum liberalibus artibus me erudiendum se curaturum esse pollicitus promissaque fideliter praestans. Propter illas vero, quas significavi, rerum familiarium angustias cum patre vivo non potuissem iis imbui literis, quibus juvenes ad altiora studia informantur, factum est, ut vel quindecim annos natus vix fundamentis earum rerum, quae in gymnasiis traduntur, instructus quartae classis civibus gymnasii Friderico-Werderani Berolinensis adscriptus sim ab E. Bonnellio rectore viro et eximia doctrina et singulari puerorum educandorum arte praedito, qui egregia liberalitate, humanitate, benignitate in sempiternum me habet obstri-

ctum. Berolinum ubi me contuli etsi rerum divinarum studiis me aliquando daturus eram, tamen in ordinem secundae classis civium receptus cum mirum in modum delectatus essem iis scholis, quibus vir doctissimus et in primis ingeniosus Ernestus Koepke interpretatus est carmina Homerica, nulla impediri potuissem re, quin ad literarum antiquarum studium totum me darem. Examine igitur quod discipulis studia academica inauguraturis subeundum est, ut praeceptoribus meis satisfeci, anno MDCCCXLIX a rectore magnifico J. Nitzschio in numerum civium academiae Berolinensis adscriptus nomen sum professus apud A. Trendelenburgium ordinis philosophorum tunc temporis decanum et per septem semestria magno cum fructu meo audivi scholas horum virorum doctissimorum: Boeckhii, Lachmanni, Franzii, Trendelenburgii, Rankii, Stahlii, Lepsii, Panofkae, E. Curtii, G. Curtii, Hertzii, Benaryi, Koepkii, Althausii, Wattenbachii, quibus omnibus cum magnam debeam gratiam, tum summam non modo utilitatem, sed etiam delectationem percepi ex scholis Boeckhii, qui, si universum litterarum antiquarum studium ad eum spectat finem, ut excolat morum facilitatem, animi mansuetudinem, summam denique et perfectam humanitatem, quoniam his talibus virtutibus ille vir ornatum se praestat, omnibus in idem studium incumbentibus singulari debet esse et illustri exemplo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Lessingiam illam Emiliam Galotti si Goethium secuti et ipsam ponimus captam fuisse principis amore, mirum in modum tragica hujus dramatis vis augetur.
2. Phaedram Racinii Hippolyto Euripideo equidem praefero.
3. Septem quae supersunt tragoediae Sophocleae ad perfectionis artem respicienti in hunc ordinem referendae erunt: Antigona, Electra, Oedipus Coloneus, Oedipus Rex, Ajax, Philoctetes, Trachiniae.
4. Antigonam Sophocleam qui prorsus insontem putat interire, omnino non perspectam habet verae et perfectae tragoediae indolem atque naturam.
5. Locus Antigonae vs. 23—25 sic legendus et distinguendus:

   Ἐτεοκλέα μὲν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ,
   χρησθεὶς δικαίᾳ, καὶ νόμῳ κατὰ χθονὸς
   ἔκρυψεν κ. τ. λ.

   ut a verbo *χρησθεὶς* apta sit vox *δικαίᾳ* sc. *δίκῃ*, non Eteocles.

6. Quae leguntur apud Livium (II, 5) „eminente animo patrio" Ribbeckius corrupta esse falso opinatus temere ausus est mutare in hunc modum: „mentientis animum placidum." Patrius enim animus cum nimirum sit „Patriotismus" nemo sententia illa potest offendi.
7. Apud Horatium (Sat. II, 5, 59—60) pro iis quae vulgo leguntur:

   O Laërtiade, quidquid dicam, aut erit aut non:
   Divinare *etenim* magnus mihi *donat* Apollo

   facile adducor ut cum Haberfeldtio substituam:

   O Laërtiade, quidquid dicam, aut erit aut non
   Divinare *mihi* magnus *donavit* Apollo.